DE SALLUSTII EPISTULIS AD CAESAREM SENEM DE RE PUBLICA

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI
SCRIPSIT

ANNAMARIA HOLBORN E GENTE BETTMANN
HEIDELBERGENSIS

Dies promotionis a. d. IV. Id. Oct.

MCMXXVI

DE SALLUSTII EPISTULIS
AD CAESAREM SENEM DE RE PUBLICA

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI
SCRIPSIT

ANNAMARIA HOLBORN E GENTE BETTMANN
HEIDELBERGENSIS

Dies promotionis a. d. IV. Id. Oct.

MCMXXVI

Ad ordinem rettulerunt
E. NORDEN prof. ord. publ.
U. v. WILAMOWITZ-MOELLENDORFF prof. ord. publ.

1926 — Tipografia Giuntina, diretta da L. Franceschini - Firenze, Via del Sole 4.

QUOD in animum induxi quaestionem de duabus epistulis ad Caesarem senem de re publica retractare, id studeo, ut quae proximis temporibus Ricardus Poehlmann, Eduardus Meyer, Otto Gebhard rerum scriptores stabili fundamento substruxerunt, cum docerent epistulas genuinas esse Sallustianas et alteram quidem anno a Chr. n. 49, priorem brevi post pugnam ad Thapsum factam vere anni 46 conscriptam esse (1), philologorum arte quatenus fieri potuerit confirmem. Nam postquam post leves gravioresve priorum suspiciones (2). Henricus Iordanus opusculo « De suasoriis ad Caesarem senem de re publica » (Berolini 1868) inscripto conatus est probare libellos non esse Sallustianos sed suasorias scholae more a rhetore quodam conscriptas sub specie epistularum neque Flaviorum aevo superiores neque inferiores Antoninis habendos, numquam desiit dubitatio de epistularum auctore. Nam cum alii ei assentirentur (3), alii non utramque epistulam subditiciam iudicarent, sed alteram ab ipso Sallustio, alteram a rhetore quodam compositam esse neque tamen consen-

---

(1) R. POEHLMANN, *Zur Geschichte der antiken Publizistik*. Sb. d. Akad. d. Wissch. München 1904, p. 3-79. = Gesammelte Abhandlungen « Aus Altertum u. Gegenwart » N. F. München 1911, p. 184 sqq.

ED. MEYER, *Caesars Monarchie u. das Prinzipat d. Pompejus*. Berolini, 1918, p. 357 sqq., 389 sqq., 558-82.

OTTO GEBHARDT, *Sallust als politischer Publizist während des Bürgerkriegs*. Diss. Halle 1920.

(2) Primus L. Carrio epistulas subditicias declaravit (in Gruteri editione 1607).

(3) O. HARTUNG, *De Sallustii epistulis ad Caesarem senem de re publica*. Diss. Hal. Sax. 1874 epistulas non unius rhetoris esse putabat, sed duos adulescentulos in rhetoris schola certamen ingenii instituisse, in quo conspici posset, quantam e Sallustio et sententiarum et verborum copiam hausissent.

tirent, utram Sallustio tribuerent utram ab eo abiudicarent (1), erant qui utramque epistulam genuinam Sallustianam habendam esse censerent (2).

Atque argumenta quidem Iordani ad res gestas iusque publicum pertinentia nulla esse neque consilia Caesari data de ordinanda re publica inepte ficta neque tempori quo spectant parum accomodata viri docti, quos paulo ante nominavi, evicerunt. Cetera quoque, quibus Iordanus aliique nisi sunt, parum esse accurata et omnia, si quis epistularum dictionem, stilum, compositionem altius inspexerit, postulare, ut Sallustii eas esse iudicemus, e sequenti disputatione elucebit.

Traditae sunt epistulae ad Caesarem senem de re publica uno codice Vaticano 3864 saeculi IX-X (3), quo continentur Caesaris de bello Gallico commentarii, nonnulla Aethici Histri, Plinii epistularum libri quattuor, tum Sallustii orationes e Catilina, Jugurtha, Historiis excerptae, denique praemissa praescriptione « epistolae » tres epistulae e Sallustii bellis, tres ex Historiis sumptae, quibuscum epistulae ad Caesarem coniunctae sunt praescripto titulo : « Ad Caesarem senem de re publica incipit feliciter ».

Altera epistula mediocri spatio a priore seiuncta titulo non addito subscriptum habet « explicit ». Sallustii nomen epistulis ad Caesarem additum non est, sed id in praescriptione quoque epistularum e Sallustii bellis Historiisque excerptarum desideratur.

De ipsius codicis natura copiose egit Haulerus (Wiener Studien 17 (1895) p. 122-151), qui originem eius ad ipsius antiquitatis tempora revocandam esse probavit vel proavum huius libri inter eas eclogas Sallustii habendum esse, quas constat

---

(1) L. Hellwig, *De genuina Sallustii ad Caesarem epistula cum incerti alicuius Suasoria iuncta.* Diss. Lips. 1873 epistulam priorem a Sallustio abiudicat ;

Hugh Last, *On the Sallustian Suasoriae* in *The Classical Quarterly*, vol. XVII (1923), p. 82 sqq., 151 sqq. epistulam secundam.

(2) Praeter historicos quorum nomina supra attuli imprimis C. Spandau, *Eine Salluststudie* Progr. Bayreuth, 1869;

Alphonsus Kurfess in *Epistularum editione* (Lipsiae in aedibus B. G. Teubneri 1921) praefatione, indicibus testimoniis instructa, qua multa iam collegit disputationi nostrae utilia.

(3) Ex hoc codice quotquot alii exstant transcripti sunt.

primo et secundo p. Chr. n. saeculo factas esse, ut antiquiorem reddat recensionem quam ceterorum archetypus codicum. Haulerum secutus est Ahlberg (1).

Continent epistulae illae ab eclogario Sallustii scriptis subiunctae consilia Caesari data de re publica ordinanda et constituenda. De civibus novis asciscendis et senatorum numero augendo epistula secunda (2), quae spectat ad initium belli civilis, de pace Caesari victori firmanda et componenda epistula prima. Eiusmodi epistularum rationem a more Caesarianae aetatis minime alienam fuisse (3) luculentum demonstrat Ciceronis exemplum, qui familiaribus Caesaris hortantibus anno a. Chr. n. 45 epistulam ad Caesarem composuerat de constituenda re publica deque bello Parthis inferendo ita, ut quod ipse Caesar intendit suaderet ei sicuti Theopompus suaserat Alexandro. Sed quoniam epistula illa Caesaris familiaribus parum placebat, neque ad Caesarem missa neque in volgus edita est (4). Eandem epistulae quoque de quibus agendum est nobis indolem habent, quas vernacule « offene Briefe » appellemus. Quod Jordanus voluit alteram quam nominavit suasoriam epistulae forma indutam esse, priorem orationis coram Caesare et in consilio eius habitae, id quidem — ut iam Ed. Meyerus et nuper H. Lastius viderunt — nil valet. Utraque epistula appellanda est (5). Neque in eo offendendum, quod epistulae ad

---

(1) *Prolegomena in Sallustium,* cap. IV, p. 104-118 (Gotoburgii 1911).

(2) Quae secundo loco tradita est, tempore priorem esse, quae primo, posteriorem iam Johannes Clericus vidit. Cum ep. I, II dicimus, codicis ordinem sequemur.

(3) Sic Kritzius voluerat, cum epistulas subditicias esse contenderet (in praefatione editionis Sallustii, 1828, p. XVII).

(4) Cf. ad Att. XII 40_2 συμβουλευτικον *saepe conor.... et quidem mecum habeo et* 'Αριστοτελους et Θεοπομπου προς 'Αλεξανδρον (Sallustium Theopompum studiose legisse etiam ex libris bellorum apparet; cf. Norden, Abriss d. röm. Literatur, Einleitg. in d. Altertumswissenschaft I^4 p. 37) ibid. XIII 26_2 *heri etiam effeci epistolam ad Caesarem.* 27_1 *de epistola ad Caesarem.... multa mutari volunt.... quamquam de Parthico bello quid spectare debui, nisi quod illum velle arbitrabar?....* 28_2; 31_3 *de ep. ad Caes.... quod isti aiunt illum scribere se nisi constitutis rebus non iturum in Parthos, idem ego suadebam.* Cf. de illa epistula, quam Caesar μείλιγμα « Catonis » esse voluit, Ed. Meyer l. l. p. 438-44.

(5) In ep. II 2_2 *tibi scripsi* 12_1 *perlectis litteris*; I 8_8 *pauca disserere* 8_{10} *a me quidem dictum fuerit.* Sed cf. *disserere* de iis dictum, quae scripta sunt Cat 5_9, *dicere* Jug 95_2. Epistulae inter se tam similes sunt, ut differentia formae non intercedat. Cf. Meyer l l. 568 sq, Last l. l. p. 91.

Caesarem *senem* inscriptae sunt (1). Nam praescriptionem sicuti ceteris quoque orationibus epistulisque, quae e Sallustii scriptis excerptae sunt, ab eclogario additam esse patet (2).

Sed maiori viris doctis offensioni erat, quod cum grammatici creberrime Sallustii dictiones afferrent, epistularum dictionis nullus meminisset quodque nullum exstaret testimonium, quo demonstraretur veteres epistularum notitiam habuisse (3). De hoc quoque argumento ambigendum est. Quamquam quod Ed. Meyer Nordeni sententiam secutus (4) postque Gebhardus (5) ad epistulas pertinere testimonium voluerunt, sequi non possum. Attulerunt enim Gellii locum XVII $_{18}$: *M. Varro.... in libro quem inscripsit Pius aut de pace C. Sallustium scriptorem seriae illius et severae orationis, in cuius historia notiones censorias fieri atque exerceri videmus, in adulterio deprehensum ab Annio Milone loris bene caesum dicit et, cum dedisset pecuniam, dimissum* et Pium illum Q. Caecilium Metellum Pium Scipionem dici iudicaverunt, Pompei socerum et Varronis amicum, qui post cladem ad Thapsum acceptam in Hispania interiit. Varronem epistulae Sallustii, quae de pace constituenda ageret, logistorico respondisse putabant, quem nomine amici ornaret. At neque Pium illum Pompei socerum intellegendum esse, sed Q. Caecilium Metellum priorem, qui in Sallustii Historiarum libris I-III occurrit, Cichorius docuit (6) neque concedendum est *seriam et severam orationem* ad « orationem » quam Jordanus Gebhardusque nominaverunt i. e. epistulam priorem spectare. Oratio seria et severa idem valere mihi videtur ac genus scribendi serium et severum (7).

Qua in re Gebhardus cum errare mihi videatur, aliud in

---

(1) Cf. JORDAN, l. l. p. 5 : « igitur inter varia rhetorum de epistulis scribendis praecepta primum est illud plurimum differre nobili an seni an magistratui an patri an amico an prospere agenti an tristi scribemus. Vides scholam redolere illud : ad Caesarem senem ».

(2) Cf. e. gr. « epistula Cn. Pompei ad senatum » et quae apud Nonium afferuntur Ciceronis « Epistulae ad Caesarem » et « ad Caesarem iuniorem ».

(3) Invectivam in Ciceronem iam Quintilianus Sallustio attribuit.

(4) MEYER, l. l. p. 582, n. 2.

(5) GEBHARD, l. l. p. 8 sqq.

(6) CICHORIUS, *Roemische Studien*, p. 229. Quae ratio intercedat inter titulum logistorici et Metellum Pium in medio reliquit.

(7) Qua in re prorsus facio cum Lastio l. l. p. 91 sqq.

lucem protulit testimonium dignissimum respectu: Cassius Dio haec narrat XLIII, 9_2: Καῖσαρ.. τοὺς Νομάδας λαβὼν ἔς τε τὸ ὑπήκοον ἐπήγαγε καὶ τῷ Σαλουστίῳ λόγῳ μὲν ἄρχειν, ἔργῳ δὲ ἄγειν τε καὶ φέρειν ἐπέτρεψεν, ἀμέλει καὶ ἐδωροδόκησε πολλὰ καὶ ἥρπασεν, ὥστε καὶ κατηγορηθῆναι καὶ αἰσχύνην ἐσχάτην ὀφλεῖν, ὅτι τοιαῦτα συγγράμματα συγγράψας καὶ πολλὰ καὶ πικρὰ περὶ τῶν ἐκκαρπουμένων τινὰς εἰπὼν οὐκ ἐμιμήσατο τῷ ἔργῳ τοὺς λόγους, ὅθεν εἰ καὶ τὰ μάλιστα ἀφείθη ὑπὸ τοῦ Καίσαρος, ἀλλ᾽ αὐτός γε ἑαυτὸν καὶ πάνυ τῇ συγγραφῇ ἐστηλοκόπησε.

Sallustius paulo post pugnam ad Thapsum factam proconsul in Africa Nova relictus (1) provinciam male habuit (2). Qua de causa repetundarum reo et a Caesare absoluto συγγραφήν ignominiae fuisse Cassius Dio tradit (3). Quae fuerit illa συγγραφή, quae συγγράμματα ante Africae administrationem scripta (συγγράψας nota aoristum) et tam male cum Sallustii factis vitaque consonantia quaeritur. Neque enim de Catilina, Jugurtha, Historiis cogitari potest, quippe quae post Caesaris mortem scripta sint, postquam Sallustius a negotiis publicis se recepit. Sed in epistulas ad Caesarem Cassii narratio cum optime cadat (4), insigne testimonium habenda est, quo demonstretur apud veteres quoque epistulas Sallustii in notitia fuisse.

Inter ipsa συγγράμματα (nota pluralem) Cassii testimonio confirmata i. e., si recte conclusimus, epistulas duas iam primo aspectu tanta conspicua est dictionis similitudo, ut eas aut unius auctoris esse aut qui alteram scripsit priorem imitatum esse eluceat. Prius convenire et utramque epistulam unius auctoris et eius quidem C. Sallustii Crispi esse sequenti disputatione me probaturam spero. Hoc tamen loco pauca enumerabo, e quibus manifestum sit non fortuito epistulas duas una esse traditas sed interiore modo coniunctas esse: ep. I 1_2 *qui tantum alios praegressus es, ut prius defessi sint homines laudando facta tua quam tu laude digna faciundo.* ep. II, 1_6 *illa res*

---

(1) Cf. etiam bell. Afric. 97_1.

(2) invect. in Sall. 7_{19}.

(3) in libro XLIII qui locum allatum continet Cassium Livio usum esse demonstrat Ed. Schwartz RE III_2.

(4) Cf. ep. I 5_4 *si sumptuum et rapinarum licentiam dempseris* e. q. s. 5_8 *ea vera atque simplex via est magistratum populo, non creditori gerere et magnitudinem animi in addendo, non demendo reipublicae ostendere.* 8_4 *providendum est tibi, quonam modo Italia atque provinciae tutiores sint.* II 7_3, 8_4.

clarior est, quod prius defessi sunt homines laudando atque admirando munificentiam tuam quam tu faciundo quae gloria digna essent.

Ep. I 8_{10} *reliquum est optare, ut quae tibi placuerint, ea di immortales adprobent beneque evenire sinant.* II 13_{8} *ceterum deos immortales optestor, ut, quocumque modo ages, ea res tibi reique publicae prospere eveniat.*

Quod iam ad ipsam disputationem accedimus, ita instituemus ordinem, ut ordiamur a rebus grammaticis, deinde usu imprimis vocabulorum syntaxique epistularum cum Sallustii ratione comparatis universam adumbremus elocutionem deque auctoris ingenio agamus. Quoniam ea res venit nobis in quaestionem: utrum epistulae imitatori ascribendae sint necne, plurimum nostra refert ostendere non centonis neque consarcinati operis epistulas prae se ferre naturam, cui rei maximae auctoritati sunt ea, quae non tam ad verbum Sallustii sententiis vel vocabulis paria tamen eiusdem sunt intelligentiae sensusque. Neque quicquam in epistulis obviam fit, quod Sallustii esse non possit, plurima quae nullus ita scripserit praeter Sallustium.

A. — De usu Vocabulorum.

Sermonis Sallustiani proprietates maxime elucent in usu vocabulorum. Quarum insignissimam esse antiqui coloris affectationem, qua in re Catonis praecipue Sisennaeque (1) exemplum secutus est, iam veterum testimoniis notum est adeo confirmari, ut etiam vitio aliquoties ei vertatur: Cf. Suetonius de gramm. 15 *Lenaeus Magni Pompei libertus.... ut Sallustium historicum..... acerbissima satura laceraverit appellans.... vita scriptisque monstrosum, praeterea priscorum Catonisque verborum ineruditissimum furem,* Fronto p. 62 (Naber).... *M. Porcius eiusque frequens sectator C. Sallustius,* Gell. I, 15_{18} *novatori verborum Sal-*

(1) E genere dicendi Sisennae Sallustium mutuatum esse viri docti consentiunt, cum in paucitate reliquiarum satis perspici non possit, quot ab illo sumpserit. De Sallustii archaismis cf. praecipue P. Schultze, *De archaismis Sallustianis.* Diss Hall. 1871 ; G. Bruennert, *De Sallustio imitatore Catonis Sisennae aliorumque veterum historicorum Roman.* Diss. Jena, 1873.

lustio. Atque multo magis Sallustius antiqua renovavit quam nova finxit. Praeterea talia adhibet, quae in exculta et perfecta optimorum scriptorum oratione non admissa plerumque sermonis familiaris propria dicuntur (1). Itaque Sallustius et delectu et significatu verborum a Cicerone et Caesare aequalibus maxime differt, quibus a priscis obsoletisque verbis cavendum esse constabat (2). Quod ad usum nostrum attinet, examinandum est, eaedemne verborum usus proprietates in epistulis quoque inveniantur. Sed primo praemittamus pauca de orthographia ac de declinatione et coniugatione.

I. — De orthographia.

Quod epistularum orthographia vetustiorem praebet speciem ceteris Sallustii scriptis ab Jordano allatum est argumentum, quo doceret talia cum a Sallustio scribi non possent, rhetori tribuenda esse vetustatis affectatione Sallustii morem etiam superanti (3). Atque hodie quoque qui de epistularum « hyperarchaismis » loquuntur scribendi rationem spectant (4). Cui sententiae nullo modo assentiendum est. Nam qualis fuerit genuina Sallustii aequaliumque orthographia difficile est diiudicatu. Titulorum illius aetatis fluctuat consuetudo neque semper cum scriptoribus comparari possunt, cum tituli vetustatem magis retineant. Scriptorum autem codices posteriore tempore emendatrices ac novatrices manus saepe passi sunt, quibus vetustiores eaeque obscuriores formae renovarentur. Nonnuliis ta-

---

(1) Cf. K. Kraut, *Das vulgaere Element in der Sprache des Sallust*, Progr. Blaubeuren, 1881. Re vera de sermone vulgari dici non potest, Sallustii Latinitas non eiusdem est generis atque Ciceronis aut Caesaris, propius accedit ad Varronem. (Et Sallustius et Varro Sabina terra oriundus erat).

(2) Cf. de Caesaris ratione Gell. I_{10} : *quod a C. Caesare in primo de analogia libro scriptum est, ut tamquam scopulum sic fugias inauditum atque insolens verbum.* De Cicerone cf. Norden Antike Kunstprosa, I^3, p. 202.

(3) Cf. l. l., p. 23.

(4) Jordanus quidem affirmat in scribendis declinandisve vocabulis hyperarchaismos rhetorisque disciplinam agnosci. At declinandorum solum infinitivum *invisier* loco positum magnae gravitatis (cf. infra p. 12) alibi apud Sallustium non legimus. Qui post Jordanum de epistulis scripserunt verba eius subsecuti sunt magis quam examinaverunt.

men locis in probis codicibus antiquae orthographiae vestigia apparent. Cuius rei conspicuum est codicis Cluniacensis exemplum Ciceronis orationes continentis, quo uno orthographiae antiquae vestigia tradita sunt, quibus Ciceronem usum esse Quintiliani Gelliique testimoniis confirmatur (1).

Neque a veri specie abest Sallustium, cum in genere dicendi archaismos appetiverit, in orthographia quoque hunc morem secutum esse. Ac perlustratis epistularum archaismis, quos Kurfessius p. 20 sq. enumeravit, maximam partem — ut titulorum testimonia omittam — non solum in epistulis ad Caesarem sed etiam in aliis epistulis orationibusque e Sallustii scriptis electis — quamquam non tanta constantia-codice V traditi (2) ab Ahlbergio in edendis Sallustii Catilina, Iugurtha, Historiarum fragmentis ubique textui inserti sunt (3). Ut *u* vocalis pro *i* in superlativis scripta, formae *aestumo, lubet, lubido, o* pro *e* post *v*, formae *quom, quoius, t* et *d* varietas (scriptura *haut*).

Tantum *ei* diphthongi pro *i* longa adhibitae, quam in epistulis saepe — minime constanter — scriptam invenimus, alibi vestigia nulla aut perrara sunt (4). Neque tamen ullo modo evinci potest Sallustium hanc scripturam repudiavisse, quam a Gracchorum usque ad Caesaris aetatem saepissime promiscue cum *i* longa adhibitam esse tituli docent, eiusque scribendi rationis etiam in Catulli, Lucretii, Varronis codicibus vestigia deprenduntur (5). Imprimis in flexis vocabulorum syllabis epi-

---

(1) Cf. A. C. Clark, *The vetus Cluniacensis of Poggio* (Anecdota Oxoniensia 10) p. 20 sqq. Ad scripturas *cassum, provissis, ussus*, cf. Quintil. I 7_{20}, *pepugisset*, cf. Gellium, IV 9, 15. Praeterea occurrunt genetivi in *-i* pro *ii* exeuntes, accusativi pluralis in *-is*, *u* pro *i* in superlativis, forma *existumo*, *o* pro *u* post *v*, formae praepositionum in compositis non assimilatae ut *adnumero, conrumpo*.

(2) Cf. E. Hauler, *Zur Sallustkritik* (Wiener Studien 17, 1895) p. 140 sqq. « V hat zahlreichere alte, ursprüngliche Formen aus dem Archetyp erhalten ».

(3) Cf. editionem maiorem, p. VIII. De Dilesii ratione in edendo Lucretio conferas quae disseruit p. XXVIII sqq. praefationis « Quaecumque orthographiae antiquae vestigia in probis codicibus apparent, ea mordicus sunt tenenda ».

(4) Hist. frgm. II 98_6 Urbinas ac Vaticanus 3415 teste Haulero *queis* exhibent.

(5) Cf. Corssen, *Über Vocalismus, Aussprache u. Betonung der lateinischen Sprache*, p. 719 sqq. Lommatzsch, Archiv f. Lat. Lexicographie 15,

stulae — sicuti tituli illius aetatis (1) — diphtongum *ei* exhibent: ut *tuei, libidinei, qualeicumque* (abl.), *illei, fidei, ignarei* (nom. plur.), *quieteis, aequeis, illeis, queis, haberei* (2) (inf. pass.), *composuereis* (3).

Ut totius quaestionis summam faciam: ex iis quae supra demonstravimus facile concludi potest epistularum memoriam qua eclogarius usus sit antiquiorem ceteris Sallustii codicibus minusque librariorum manibus tritam eas servasse textus formas, quae alibi in Sallustii codicibus plus minusve evanuerint. Ceterum si quis argumentis quae modo protuli repudiatis scripturam antiquam a Sallustii more alienam esse iudicaret, tamen ne ei quidem liceret de epistularum origine Sallustiana dubitare. Fieri enim poterat, ut aetate vel Hadriana vel Antoniana auctor aliquis Frontonis vel Gellii consimilis ut antiquitatem affectaret formas vetustas epistularum contextui intruderet (4). — Utut res sese habet: quod ex rebus quidem orthographicis epistularum fides in dubium vocata est, nullo modo excusari potest.

II. — De declinatione et coniugatione.

Cum in universum quod ad flexionem attinet Sallustius a communi usu dicendi paulum recedat, pauca tamen exstant notatione digna, quae in epistulis quoque occurrunt.

Ep. I, 2_6 *ex queis; queis = quibus,* reliquis epistularum locis

---

p. 129 sqq. Lachmann ad Lucretii versus 4, 602 (*qualia sunt vitrei*) et 6,1143 (*populo.... omnei*). Etiam palimpsestus Palatino-Vaticanus in Ciceronis pro Fonteio oratione scripturam *ei* praebet cf. *huius furtei, exeistumare, sei, ieis, deicat, cogei, lubeidine.*

(1) Cf. Corssen, l. l., p. 719 sqq.

(2) Cf. *fierei* in lege Rubria (anni a. Chr. n. 49, C I L I 205), *advehei* in lege Julia C I L I, p. 206 (anni a. Chr. n. 45).

(3) *utei* duobus locis (etiam *sicutei*), saepissime in titulis, cf. indicem C I L I, p. 599.

(4) Haec explicandi ratio nescio an cuiquam propterea placebit, quia genuinis *ei* diphthongis hic illic immixtae sunt adulterinae vocalis formae *quein, ineiquorum, formeidatur,* quamquam eiusmodi commixtionem etiam in Caesarianae aetatis inscriptionibus usu venire notum est. Cf. in lege Rubria *deividunda, feient, peregreinos* aliaque, C I. L I 1127 *Leicinius,* 1123 *seibi* (pro *sibei,* tituli eiusdem aetatis). In carmine epigraphico 967 (Buecheler) *quei, seic, quom* inveniuntur, 968 *seic.*

forma *quibus* exstat. In Sallustii Catilina uno loco, si Diomedem grammaticum sequi volumus testem, formam *quis* legimus (18_1), cum codices hic quoque *quibus* praebeant, in Jugurtha Historiarumque reliquiis forma *quis* saepius invenitur. De formae *quis* usu cf. Leo, Plautin. Forschg.[2] p. 316, n. 1, unde elucet raram eam esse. Cum Plauti Terentiique aetate vulgo exstaret, post certos usus fines habet (1).

In verbis declinandis notabile est, quam frequens sit in epistulis forma tertiae pluralis perfecti personae in *-ere* exeuntis: (*fuere* I, 1_1, *defluxere, restitere* 2_6, *temperavere* 3_3, *tribuere* 3_4, *oppressere* 8_{24} *distinuere* II, 11_6, *fecere* 11_6; *erunt: intellexerunt, existumaverunt* II, 6_4, *disturbaverunt* 6_5, *adfuerunt* 11_6). Hanc formam Sallustium valde adamasse a viris doctis notatum est (2). Quae cum in Catonis reliquiis saepe occurrat, hac quoque in re Sallustium Catonem imitatum esse suspicandum est. Nam aetate eius obsoleta fuit (3). Ep. II, 12_7 plenior forma infinitivi passivi legitur in *-ier* exiens: *mihi pro vero constat.... mortalium vitam divino numine invisier* quam terminationem in Sallustii bellis Historiisque non legimus. Apud Plautum nisi in fine versuum iambicorum et trochaicorum non usitata in sollemni legum sermone occurrit, et Cato quoque ea utitur. Epistulae loco infinitivus invisier magna dicitur gravitate, eumque ex imitatione Catoniana positum esse conicias.

III. — De Substantivis.

a) **De conformatione.** — Sallustius in deliciis habet substantiva terminatione-*mentum* conformata, cum a Cicerone eiusque aequalibus multo rarius usurpentur. (Cf. e. gr. *cognomentum, hortamentum, dehonestamentum, delenimentum, irrigamentum* e. a.). In epistulis haecce invenies: *additamentum* ep. II, 9_4, II, 11_6 vox rarissima (4), *honestamentum* ep. II, 13_2 (cf. Sall. or. Lep. 21: *dehonestamentum*) vox rara.

---

(1) Invenitur in Varronis, Sallustii scriptis, Ciceronis in epistulis, in Lucretio, Catullo, Horatii sermonibus, Vergilii Aeneide.

(2) Cf. Schultze l. l. p. 81, A. Kunze, *Sallustiana* (*III Hefte*, Lipsiae, 1892-98) III p. 7.

(3) Cf. *Cicero orat.* III 157, Neue, Formenlehre III[3] p. 190 sqq.

(4) Cf. Thes ling. lat., I 578 Cic. Sest. 68, saepius inde a tertio p. Chr. n. saeculo.

Ubi ex eadem radice vario suffixo formata exstabant substantiva, Sallustio saepe placuit id praeferre, quod aetate eius obsoletum prisco poeticoque imbutum erat colore. Cum Cicero et Caesar sola voce *cupiditatis* utantur, ea in Sallustii scriptis ter invenitur, vicies *cupido,* vox prisca et poetica; *cupido* etiam in epistulis ad Caesarem legitur II, 7_7, 12_4 (*cupiditas* non exstat) (1).

b) **De singulis Substantivis.** — Vocabuli *animus* hae in epistulis notabiles sunt iuncturae: I, 7_4 *saepe ego quom animo meo reputans,* II, 1_1 *multa mihi cum animo agitanti,* ubi animus quasi personae vice fungitur. Tales locutiones in veterum scriptorum sermone obviae (f. Plaut. Trin. 256, Ter. Ad. 500, Cato 38_{10} (Jordan), in Ciceronis scriptis rarae (Verr. III, 41_{95}) Sallustio familiares sunt: *cum animo habere* Jug. 11_8, *cum animo reputare* (cf. epistulae locum) Jug. 13_2, 70_5, 85_{10}, *cum animo trahere* Jug 93_1, *cum animo volvere* Jug. 6_2, 108_3.

artes. Vocis *artes* (2) usus in Sallustii scriptis et frequentissimus est et maxime varius, quem si paucis complecti volumus verbis, ita iudicabimus voce *artes* cuiusmodi mores studiaque significari, nonnullis locis etiam facta, quibus illa exercentur. Saepenumero *bonae artes* dicuntur de cuiusvis generis bonis laudabilibusque studiis et factis, *malae artes* de malis vituperandisque (3).

Quocum optime congruit usus epistularum, in quibus singularis *ars* semel, pluralis *artes* septies leguntur: I 6_1 *sin eadem studia artesque iuventuti erunt,* II, 5_6 (populi multitudo).... *in artis vitasque varias dispalata.*

(Cf. e. gr. Jug. 2_4 *cum tam multae variaeque sint artes animi.* Cat 9_3 *duabus his artibus.... audacia.... aequitate*).

bonae artes: ep. I, 1_9 *pacis bonis artibus,* II, 7_4 *neque disciplina.... neque artes bonae neque ingenium ullum....* II, 13_2 *bonas artes,* II, 1_5 *in te artem unam egregie mirabilem comperi.*

---

(1) Cf. Thes. ling. Lat. IV, 1411 Plautus *cupiditas* 1 ×, *cupido* 3 ×, Ter. *cupiditas* 2 × (-do nusquam), Cicero *cupiditas* 422 × (*-do* nusquam) Caesar *cupiditas* 10 × (-do nusquam) Sallustius *cupiditas* 3 × *cupido* 20 ×.

(2) singularis *ars* non occurrit nisi Cat. 2_9 *praeclari facinoris aut artis bonae famam.* Hist. frgm. II 37, III 102.

(3) Cf. L. S. Fighiera, *La lingua e la grammatica di C. Sallustio* (Savona, 1900), p. 39.

(Cf. Cat 10_4 *fidèm, probitatem ceterasque artes bonas,* Jug. 4_7 *bonis artibus* opponuntur *furtim et per latrocinia,* 28_5 *multae bonae artes et animi et corporis*).

malae artes I, 6_4 *pravas artes malasque libidines,* II, 1_3 *magistratum.... quem multi malis artibus adepti erant.*

Cf. Cat 3_{47}, 13_5, Jug. 85_{43} *luxuria et avaritia, pessumae artes.*

consultor. ep. II, 1_1 *cum et illis consultorum copiae adsint.* Vox *consultoris* dicta est de eo, qui consiliis dandis, auctoritate alteri consulit, qua notione praedita est ubicumque in Sallustii scriptis invenitur. (cf. Jug. 85_{47}, 103_7, Hist. frgm. I, 74, I, 77_1, III, 48_{15}) (1). Longe alia est vocis consultoris significatio in Ciceronis scriptis, ubi pertinet ad eum, qui petit consilium (2). Sallustii usus ex veterum scriptorum more est (3).

excidium. ep. I, 5_2 *qua tempestate urbi Romanae fatum excidii adventarit.* Vox excidii loco posita maximae gravitatis idem valet quod ruina, eversio urbis. Cf. Sallustii Hist. frgm. I_{11} *post Carthaginis excidium.* Hist. IV, 69_{12} *Cretenses.... neque finem nisi excidio habituri.* In Caesaris Ciceronisque scriptis deest.

factio. ep. II, 2_4; 4_2; 8_6; 9_4; 10_8; 10_9; 11_6. In Sallustii scriptis vocabulum factionis potissimum ad nobilitatis consociationem pertinet (4) (cf. e. gr. Cat. 34_2, Jug $31_{1,4}$), quod idem fit omnibus epistulae locis excepto II, 10_8, ubi auctor tempus praeteritum maiorumque mores suae aetati opponens tum viros in re publica sese congregasse dicit, non ut in singulas partes divisi ipsi sese inimicitia persequerentur, sed ut hostes propellerent. (factiosus cf. infra p. 17).

lubido. II, 13_6 *quodsi tibi bona lubido fuerit patriae parentibusque gratificandi....* quo loco lubido in bonam partem dicitur (reliquis epistularum locis in malam), cuius notionis unum afferre possum exemplum Sallustii Cat. 7_4: *magisque in decoris armis et militaribus equis quam in scortis atque conviviis lubidinem habebant* (ubi et ad nobiles et ad malas res spectat). Alibi in Sallustii scriptis ut in epistulis quoque communem habet

---

(1) Cf. Fighiera, l, l. p. 40.

(2) Cicero pro eo, qui consilium dat, consiliarii adhibet vocem.

(3) Cf. versum vetustum a Gellio allatum, IV 5_5 *malum consilium consultori pessimum est.*

(4) Universe factio in malam partem dicitur, quod qui a factione stat partibus suis, non rei publicae consulit. cf. Jug 31_{15}, 41_1.

sensum impetus animi sine ratione quippiam appetentis sive cupiditatis effrenatae.

mortalis. ep. I, 7_5 *divina mortalis attingere* — I, 1_1 *quae per mortales.... cupiuntur,* 2_7 *quanti et quam multi mortales,* cf. II, 6_4 *multis mortalibus* (sc. beneficium dari), I, 8_9 *plerique mortales* — II, 1_1 *regi aut imperatori, postremo quoiquam mortali, quoius opes in excelso sunt* II, 1_6 per *ceteros mortales* — 8_4 *cunctos mortales* cf. 12_7 *omnium mortalium* 13_6 *super omnes mortales* — II, 11_4 *stultissimi mortales.*

Cum ep. I, 7_5 *divina mortalis attingere* natura humana morti in fine subiecta a natura divina distinguatur (cf. Sall Jug 1_3 *pro mortalibus gloria aeterni*), reliquis locis allatis *mortales* simpliciter dicuntur homines. Quod prorsus fit e consuetudine Sallustii, qui nulla intercedente notionis differentia et *mortales* et *homines* usurpat (1). Semper dicit *multi mortales, multi homines* nusquam (cf. ep. I, 2_7, II, 6_4 .— cf. Cat 10_5, 52_7, Jug 20_3, 28_7, 31_7, 47_1, 62_1) *omnes mortales et omnes homines* (in ep. bis *omnes m.* II, 12_7, 13_6) ep. II, 8_4 *cunctos mortales* cf. cum Cat 51_{12}, I, 8_9 *plerique m.* cum Cat 51_5, *quoiquam m. cum* Jug 51_{11}, 72_2, sine epitheto ep. I, 1_1, cum Cat 1_5, 33_4, Jug 10_2 36_4 e. a.

Cicero tali sensu tantummodo iuncturas *multi mortales, omnes mortales, cuncti mortales* admittit (2), Caesar prorsus aspernatus est. Sallustii usus ex veterum scriptorum more est (3).

munificentia. ep. II, 1_6 *ut prius defessi sint homines laudando atque admirando munificentiam tuam.* Vox munificentiae Ciceroni et Caesari ignota a Sallustio usurpatur pro liberalitate, μεγαλοπρεπεία. (cf. Cat. 54_2, Jug 7_7, 103_5, 110_5). Quod epistulae loco munificentia Caesaris virtus nominatur, comparanda est Caesaris morum descriptio Cat. 54_2: *ille beneficiis et munificentia clarus habebatur.*

negotium. I, 7_1 *fretus est negotii magnitudine* 7_2 *uti plebs*

---

(1) *homines in* ep. I 1_2 *ut prius defessi sint homines,* 2_2 *cum homine claro,* II 1_6 = I 1_2, 3_6 *homines inertissimi,* 4_3 *homines ignavissumi,* 6_3 *homines factiosi,* 6_1 *hom. nobilium* 6_4 *per unum hominem* 7_1 *strenuo homini* II 10_9 *homines nobiles,* idem 11_6.

(2) Cf. Landgrafium in commentario ad Cicer. Roscianam 2 p. 33.

(3) Cf. Gellii XIII, 29 (Quod Quadrigarius cum multis mortalibus dixit). Cramer Archiv f. Lexicographie VI, 342 sqq., Wackernagel. Vorlesungen über Syntax vol. II, p. 287, de Sallustii usu Fighiera. l. l. p. 43.

corrupta habeat negotia sua II, 2_2 *statui admonendum te de negotiis urbanis* II, 5_8 *plebs bonis negotiis impedita.* 11_6 *privatis suis atque amicorum negotiis implicati.* Vocem negotii a Sallustio saepissime adhiberi variisque vocabuli *rei* notionibus fungi a viris doctis notatum est (1) ep. II, 2_2 certe *de negotiis urbanis* pro *rebus urbanis* positum est.

obtentus. ep. II, 11_5 *tabella obtentui erit, quo magis animo libero facere audeat. Obtentus,* nomen verbale ab *obtendo* formatum, in Ciceronis est Caesaris sermone deest. Sallustius eo utitur Hist. frgm. I 55_{24} *secundae res mire sunt vitiis obtentui* = vitia obtegunt. Epistulae loco agitur de senatorum sententia non palam, sed secreto per tabellam proferenda qua obtegatur.

opulentia. ep. II, 1_3, 7_{10}. Opulentia pro *divitiis opibusque* vox Sallustio familiaris (cf. Cat. 6_9, 52_9, 52_{22} Hist. II, 47_{14}), a Cicerone et Caesare non usurpatur.

socordia. ep. II, 6_2, 10_9, 12_5. Socordiae vox in Ciceronis et Caesaris scriptis non adhibita Sallustio usitatissima est. (duodevicies).

tempestas. ep. I, 5_2 *qua tempestate... fatum.... adventarit* II, 11_6, *his tempestatibus* 13_5 *hac tempestate.* Epistularum locis vox tempestatis vi temporis est. Qui usus Sallustio familiarissimus est praecipue in ablativo temporis, ubi saepius tempestas quam tempus adhibet (2). Hac quoque in re priscam et primariam vocis vim retinuit (3).

torpedo. ep. II,8_7 *quia desidia et inertia, stupor eos* (*i.* e. nobiles) *atque torpedo invasit.* torpedo vox Catoniana (4). — cf. « carmen de moribus » p. 83_7 (Jordan) *inertia atque torpedo.* Sall. Hist frgm. I, 77_{19} *t. animos obrepsit* III, 48_{26} *occupavit vos* III, 48_{26} *cuius torpedinis erat.* Varro et Cicero torpedinis nomine utuntur pro pisce ita dicto, quod torpedinem contactu affert (5). Unus

(1) Cf. Fighiera, l. l. 43.

(2) Cf. Schultze, l. l. p. 76, Fighiera, p. 45. *tempus* in epistulis II 10_9 *hoc tempore,* 13_6 *posteroque tempore.*

(3) Cf. Cicero de orat. III, 38, 153. Ep. II 6_4 *tempestates* tralato sensu = hominum nobilium perturbationes cf. Cat. 20_3, ubi *t.* = *perturbationes, pericula.*

(4) Stuporis, pigritiae notione apud solos exstat Catonem, quem imitatus est Sallustius Sallustiumque Tacitus.

(5) Cf. Varro ling. lat. V 12_{77}, Cicero nat. deor. II 127.

rarissimae illius vocis usus pro omnibus fere antecedentibus est, quo Sallustium epistularum auctorem fuisse probetur.

IV. — De adiectivis.

Factiosus. II, 3_3 *idem illi factiosi regunt* II, 6_4 *homines factiosi.* Ut alibi in Sallustii scriptis, ita in epistulis quoque adiectivum insigne est nobilitatis et in malam partem dicitur, quia factiosus factioni, non rei publicae consulit. Caesar hoc epitheto non utitur, Cicero perraro.

ferox. ep. I, 5_6 *animus ferox prava via ingressus.* Epitheton ferox Sallustius summo studio adhibet de animo eorum, qui vehementissimis cupiditatibus exagitantur. (Cf. Cat. 5_7, 38_1, Jug 11_9). Idem valet epistulae loco; in Ciceronis scriptis tali sensu nusquam exstat, in Caesaris plane deest.

strenuus ep. II, 7_1 *strenuo homini. Strenuus* vox Sallustio ex Catoniana imitatione usitatissima.

V. — De verbis.

a). Quod nunc ad verba transeo, praemonendum esse mihi videtur, quam creber sit in Sallustii scriptis usus verborum frequentativorum vel intensivorum, Neque alium florentis Latinitatis scriptorem tanto studio ea usurpasse Woelfflinus demonstravit (1). Nam et multis utitur, quae etiam apud alios et eos quidem optimos scriptores occurrunt quaeque per se ipsa insolentia non sunt, ita tamen, ut saepe vis iterativa non iam perspiciatur sed pro simplicibus exstent, et aliis a probatis scriptoribus plane neglectis. Qui usus ad veterum potissimum scriptorum imitationem referendus est (cf. Catonem).

Maxime Sallustius verbum *agitandi* adamavit, totque fere eius sunt notiones quot loci quibus invenitur (ca. 54). In epistulis duodecies occurrit, cum simplex *agendi* bis tantum inveniatur.

I de motu: ep. II, 10_5, II, 11_5. tralatiore sensu: ep. II, 10_2. Cf. Jug. 25_6, 37_1. II de negotio: ep. II, 1_1, II, 3_6 *dominationem*

(1) Archiv f. lat. Lexicographie IV 204 sqq.

agitant. (Cf. *imperium agitare* Cat. 9_5, *praesidium agitare* Jug. 55_4) *agitare* = *exercere.* de eis, quae mente vel sermone tractantur: ep. I, 3_1, 5_7, II, 1_4. Cf. Jug. 30_1, Cat. 53_4, Jug. 113_3. III de vitae ratione et condicione, de statu, habitu: I, 3_2, II, 5_3, 10_5. (Cf. Cat. 23_3 *ferocius agitare* 63_5 *eo modo agitabat*).

Praeterea haec in epistulis leguntur frequentativa: *adiutare.* ep. II, 12_4 Ciceroni ignotum apud antiquos in usu fuit. *adventare.* ep. I, 5_2 — septies in Sallustii scriptis (1). *defensare.* ep. II, 10_5 — in Sallustii scriptis ter, in Ciceronis et Caesaris plane deest. *exercitare.* ep. I, 7_5 (multo frequentius *exercere* cf. infra p. 19); *exercitare* uno quoque Catilinae loco 50_2, alibi semper *exercere.* Cicero et Caesar non utuntur. *imperitare.* II, 5_3, 11_7, in Sallustii bellis sexies, a Ciceronis et Caesaris dictione alienum. *minitari.* ep. I, 2_5 (vi iterativa elucente) — Sallustio et Ciceroni usitatum. *volitare.* ep. II, 13_4 (semel volare: Jug 60_2).

b) De singulis verbis.

coalescere. ep. II, 7_2 *ut concordia inter veteres et novos coalescat.* Vocabulum Ciceroni et Caesari non usitatum Sallustianae dictionis proprium est. (cf. Cat. 6_2, Jug 87_3).

dispalari. ep. II, 5_6 *multitudo* (sc. populi) *in artes vitasque varias dispalata.* Dispalandi vox rarissima. In Sallustii scriptis simplex *palandi* legitur, quod significat *huc et illuc vagor* (cf. Jug 18_2 *vagi palantes*). De *dispalandi* vocis notione cf. Nonii p. 101 (Mueller) « *dispalare est separare. Sisenna Hist lib.* III, (p. 35 Peter) *dispalati ab signis, digressi ac dissipati. idem* (p. 134 P.) *tanto plures passim dispalantur* ».

Tota Latinitate *dispalari* a solis usurpatur Sisenna, Nepote (bis) (2) postea Gellio (semel) Dictye, Ammiano Marcellino. Quod loco epistulae supra allato H. Schenkl in Jordani opusculi censura (Zeitschr. f. österr. Gymnas. Jahrg. XVII, p. 668 sqq.) vocis *dispalandi* usum inter epistularum quae vocat « Jrrtümer und Verkehrtheiten » numerat ut *scorta et convivia exercere*

---

(1) Crebro apud poetas comicos. In Ciceronis orationibus nusquam, in epistulis septies decies. Cf. Thes. ling. lat. I, 835.

(2) Nep. Hann. 5, 2 (*iuvencorum*) *multitudinem magnam dispalatam immisit,* Lys. 1, 2 (*adversarii*) *dispalati in agris.*

(cf. infra) inter « üble Nachbildungen und Verdrehungen Sallustischer Phrasen » longe aliter concludendum esse elucet: Rarissima illa vox a Nonio Sisennae vindicata, quem Sallustium imitatum esse constat (1), inter gravissima Sallustianae epistularum originis indicia habenda est.

exercere. I, 4_4 *quomodo... scorta aut convivia exercuerint nonnulli.* II, 3_5 *si... victoriam per servitium exercerent.* I, 8_2 *eo* (sc. animo) *hebeti atque claudo pro exercito uti.* II, 7_2 *in ea re.... animum exerceto.* 10_2 *haut ferme... corpus exercui, sed animum in litteris agitavi.* 12_4 *me... cupido exercet.* 12_6 *insomniis exercitus.* II, 8_3 *malitia praemiis exercetur.*

I, 4_4 *scorta aut convivia exercere* locutio est familiaris, quae invenitur in Plauti Amphitruone v. 288: *haec nox scita est exercendo scorto conducto male.* Quod apud Sallustium non recurrit, minime est, cur talem locutionem ab eo alienam esse iudicemus (cf. quae de Schenkl supra commemoravi p. 18); loco allato locutio non ita elegans optime convenit (2).

II, 3_5 *victoriam ex.* cf. cum Cat. 34_8 *victoriam crudeliter exercebant* Jug. 16_2 *acerrume victoriam exercuerat... animum, corpus, ingenium ex.* cf. c. Cat. 2_1, 8_1, Jug. 71_1, ep., II, 12_4, 12_6 cum Cat. 11_1 *ambitio animos hominum exercet,* Hist. frgm $I_{,84}$ *cura patres exercebat,* quibus locis *exercere=exagitare, fatigare.*

fatigare. ep. II, 10_5 *animus curis atque laboribus fatigatur.* 13_7 *vivos interdum fortuna, saepe invidia fatigat.* Vocem *fatigandi* Sallustius frequentat, cum eiusdem aetatis scriptores simplex *fatigandi* raro habeant vel nusquam (3).

habere. Notatione digni mihi videntur hice loci:

I, 1_3 *virtute parta quam magna industria haberei decet, haberei = coli, tractari,* etiam *teneri* subauditur. Cf. Sall. Cat. 11_6 *Sulla exercitum luxuriose nimisque liberaliter habuit*; praeterea *curam habere* ep. II, 1_3 *in ea* (i. e. republica) *cognoscenda multam magnamque curam habui* cf. cum Jug 31_{16}.

incedere. ep. I, 5_5 *is incessit mos,* ut. Eiusmodi locutiones Sallustio familiares sunt: Jug 13_7 *commutatio incessit.* 41_3 *la-*

---

(1) Cf. supra p. 8 cum adnot. 1).

(2) Cf. de Sallustii « vulgarismis » p. 9.

(3) Cf. Thes. l. Lat. IV, 345: Cicero *fatigare* 3 ×-*defatigare* 17 ×. Caesar *fatig.* 1 ×-*def.* 6 ×. Terentius semper *defatigare,* Sallustius *fat.* 13 ×, *def.* nusquam.

scivia atque superbia incessere. Cat. 7_3 *cupido gloriae inc.*, 13_3 *lubido inc.* (1).

invadere. ep. II, 7_4 *ubi cupido divitiarum invasit.* II, 8_7 *quia desidia et inertia, stupor eos atque torpedo invasit.* 10_9 *animos socordia atque ignavia invasit.* Ut *incedendi* ita etiam *invadendi* vocem frequentat Sallustius de moribus, affectibus, qui animos hominum occupant, et absolute positam (ep. II, 7_4 cf. cum Cat. 2_5 *desidia, lubido, superbia invasere.* 10_6, Jug 41_9) et cum accusativo iunctam praepositione in non addita (2). Cf. e. gr. Cat. 12_2, 31_1, Jug 24_2, 89_6 aliosque locos. Cicero invadendi vocem semper cum praepositione in iungit. Epistulae loci cum Sallustii dictione prorsus congruunt.

memorare. ep. II, 8_6 *omnes memorant* (antecedit a. c. i.), 9_1 *quid ego plura quasi de ignotis memorem.* Cum in Ciceronis scriptis simplex *memorandi* rarissimum sit (3), qui composito *commemorandi* utebatur, Sallustius excepto uno loco (Cat. 59_6) semper *memorandi* simplici utitur (vicies semel) Catonis exemplum secutus (4).

niti. ep. II, 3_6 *summa ope niti decet, ut....* locutio « *summa ope niti* » a Caesaris Ciceronisque sermone aliena Sallustii propria est (Cf. Cat. 38_2 Jug 9_2, 25_2, 31_{17}).

patrare. ep. II, 10_8 *ea magis... consiliis quam... proeliis patrata sunt.* II, 13_4 *qua re patrata. Patrandi* verbum coloris vetusti eandem habet vim quam verba conficiendi, perficiendi. Cicero semel tantum usurpat ep. ad Att. I, 14_7 Τεῦκρις *promissa patravit,* Caesar prorsus neglexit. Sallustius in deliciis habet (novies), *perficiendi* verbum aetate eius usitatum bis posuit Jug. 11_9, 16_9.

pollere. ep. II, 7_4 *neque disciplina neque ingenium ullum satis pollet, quin... Pollendi* verbum eodem est sensu quo *valendi* (cf. ep. II, 8_7 *si virtute satis valerent*). In Sallustii bellis septies invenitur (quater pollens), saepius valere. Jam in Plauti comoe-

(1) in Ciceronis scriptis desunt, Caesaris praebent *magnus timor incessit* b. civ. $2{,}24_1$ $3{,}44_7$ $3{,}101_3$.

(2) Uno addita est loco Cat. 32_4, ceteris plurimis locis accusativus nudus exstat.

(3) Cf. Madvigii annotationem ad Cicer. de fin.³ II, 5_{15} p. 161 (ed. tertiae).

(4) Cf. etiam Nordenum in commentario ad Vergilii Aeneidis libr. VI², p. 160.

diis *pollendi* vox gravitate quadam dicitur. In Ciceronis orationibus nusquam, alibi rarissime exstat.

subigere. II, 5_4 *ubi eos inertia atque inopia incertas domos habere subegit.* 10_7 *non.., non..., non adversa res ingentem eorum animum subegit, quin...* (II, 12_5 *Gallica gente subacta*). Prioribus locis verbum *subigendi* idem valet quod *cogendi* cum maiore quadam vi dictum. Talis usus Sallustio familiaris est (Cf. Cat. 10_1, 51_{18}, Jug. 24_2, 31_{11}, 44_1) Cicero *subigere* tantum modo adhibet notione *domandi,* in dicionem suam *redigendi* (1) (sic etiam ep. II, 12_5. Cat. 2_2, 10_1).

VI. — De adverbiis.

adeo. ep. II, 7_3 *id adeo haud mirandum est.* Adverbium *adeo id* pronomini postpositum, cuius vim auget, in Sallustii scriptis saepius invenitur Cat. $37_{2, 11}$, Iug 65_3, 110_3, 111_1. Familiaris est « *id adeo* » locutio poetis comicis. In Ciceronis scriptis perrara est, apud Caesarem semel occurrit. (bell Gall. v,54,5) (2).

aliter. ep. I, 5_2 (*qua tempestate urbi Romanae fatum excidii adventarit, civis cum civibus manus conserturos, ita regi aut nationi praedae futuros*) *aliter non orbis terrarum neque cunctae gentes conglobatae movere aut contundere queunt hoc imperium. aliter* idem valet ac si diceretur: « *si res aliter sese haberet* », *sub alia condicione* neque ad singulas notiones, sed ad totum enuntiatum refertur. Quo cum usu conferendus est Sall. Cat. 29_3 et 44_1. Cicero totum solet ponere enuniatum velut « *quod nisi ita fit* » paucissimis locis exceptis, ubi *aliter* admisit (3).

ceterum. ep. I, 1_3, II, 4_5, 5_7, 8_4, 13_8. *ceterum* adverbium Sallustio praecipue in Jugurtha (quinquaginta locis) usitatissimum, cum Ciceroni (praeter unum locum ad Q. fr. 2_{12}) et Caesari prorsus desit. ep. I, 1_3, II, 5_7, 8_4 in transitione ad plane nova particulae nectendi vim habet (cf. Cat. 20_6, Jug. 4_1 plurimosque locos), item ep. II, 4_5. 13_8 ceterum = τὰ δὲ ἄλλα, quod ad cetera attinet.

---

(1) Cf. Nordenum l. l. p. 280.

(2) Cf. Thesaur. ling. lat. I, p. 615_{25} sqq. FIGHIERA l. l. p. 166.

(3) Cf. Seyffert-Mueller in commentario ad Ciceronis Laelium, p. 456, (Lael 20_{74}), Thesaur. l. l. I, 1654_{59} sqq.

contra. ep. I, 1_6 *at contra id eniti decet, uti...* I, 3_3 *contra, qui... temperavere, iis... visa sunt.* (ep. II, 2_3, 6_5, 8_3 non adverbii, sed praepositionis vice fungitur). Disseram hoc loco etiam de *contra ea.* ep. II, 10_9 *at hoc tempore contra ea homines nobiles... per superbiam moderantur.* Locutione *at contra* (cf. ep. I_6) Sallustius saepe utitur (1). Creberrime adhibetur a Lucretio, in Caesaris scriptis deest, Cicero nisi in artis primitiis non admisit (2). ep. I, 3_3 *contra* = *ex adverso, e contrario* in principio sententiae positum, quocum conferas Cat. 20_{10} Jug. 97_3, Hist. III, 109. *contra ea* (ep. II, 10_9) = *contra* cf. Sall. Jug. 57_5, 85_1. Cicero *contra ea* non habet, duobus locis Caesar (bell. Gall. V, 29_1, bell. civ. 3, 74, 3) (3).

haud. ep. II, 7_1, 12_2 *haud difficile.* II, 7_5 *haud mirandum* = *haud mirum.* I, 8_4 *haud obscurum*; ep. II, 10_{12} *haud ferme,* II, 8_6 *haud mediocriter,* II, 2_4 *haud procul,* II, 11_6 *haud sane;* ep. I, 3_4 *haut scio,* I, 8_9 *haud paenitet,* II, 9_3 *haud contemno.* Cum comici et poetae antiqui particulam *haud* saepius usurpassent, postea rarior et certis quibusdam finibus conscriptus est eius usus. Varro, Auctor ad Herennium nusquam eam adhibent, Caesar uno loco in dictione *haud scio.* (bell. Gall. V, 54, 5). In Ciceronis orationibus rarissima est, aliquanto frequentior in scriptis philosophicis. Sallustius negationem *haud* multo magis frequentat, semper autem ante adiectiva aut adverbia locum habet, ea potissimum, quae negationis quandam vim obtinent, ut illud fiat schema quod λιτότης appellatur. Epistularum *h. difficile* cf. c. Cat. 14_5, Hist. IV, 69_{21}, *h. obscurum* c. Cat. 23_1, *h. procul* c. Jug. 18_9, 53_7, 82_1, 88_5, 93_2, 106_2, 113_5, Hist. II, 107 *haud ferme, haud sane* c. Sall. Cat. 37_9, 53_5. Ante verba negatio *haud* in bellis Historiarumque fragmentis non adhibetur neque locutiones *haud scio, haud dubito* apud aequales usitatae. In epistulis contra *haud scio,* praeterea *haud contemno* (quam iuncturam Cicero quoque admisit), *haud paenitet* (4).

---

(1) Cf. Cat. 12_5, Jug. 4_7, 15_3, 16_2 Hist. frgm. II, 47_2.

(2) Cf. Landgrafium in commentario ad Cicer. Roscianam p. 242, Thesaur. l. l. II. 1003_{57} « in talibus contrapositis acuitur vis particulae (sc. at) additis contra, e contrario sim ».

(3) Cf. Thes. l. l. IV, 745_{55} sqq.

(4) De negatione *haud* cf. Handii Tursellinum, vol. III, p. 14-89, Wakkernagel, Vorlesungen über Syntax, II, p. 256.

iuxta. ep. II, 6_4 *de M. Druso iuxta ac se existumaverunt.* 7_{12} *de maximis rebus iuxta ac de minimis disceptat.* 11_4 *libertas iuxta bonis et malis, strenuis atque ignavis optabilis est.* Significat hic *iuxta* adverbium *aeque ac, pari modo ac;* adhibetur ad aequalitatis notionem exprimendam, cum ea, quae comparantur, per particulam copulativam adiuncta sint. Quod prorsus fit e consuetudine Sallustiana (1).

nequiquam. ep. I, 8_2 *nequeiquam... uti volunt. nequiquam a frustra* adverbio nisi antiquitatis colore non differt. Sallustius quater eo usus est, Cicero fere neglexit.

postremo. I. 2_5 *aperte quieteis mortem, rapinas, postremo omnia, quae corrupto animo lubebat, minitari.* II, 1_1 *consilium dare regi aut imperatori, postremo quoiquam mortalei, quoius opes in excelso sunt.* 3_4 *regunt, dant, adimunt quae lubet, innocentes circumveniunt..., trahunt rapiunt, postremo tamquam urbe capta licentia... pro legibus utuntur.* 7_3 *multo maxumum bonum patriae, civibus, tibi, liberis, postremo humanae genti pepereris, si...*

Enumeratis epistularum locis *postremo* notiones antecedentes in unam comprehendit supra eas positam, quae singulas complectitur, vernacule « Kurz, überhaupt ». Qui usus sermoni Sallustiano familiaris est (Cf. Cat. 14_3, 37_5, Jug. 3_1, 16_3, 31_{12}). Cicero in comprehendendis singulis notionibus *denique* utitur adverbio. Sallustii usus archaismus iudicandus est.

VII. — De particulis et coniunctionibus.

equidem. ep. I, 3_2 *equidem ego... arbitror* II, 6_2 *equidem ego, sic apud animum meum statuo* = 10_4. II, 2_4 *equidem mihi decretum est.* Sallustius in Catilina et Jugurtha particula *equidem* utitur ad quamcumque sententiam vehementer affirmandam, quae ad ipsum qui loquitur pertinet, et ante *ego* (cf. Cat. 51_{15} Jug. 10_6, 85_{26}), quo cum usu congruunt epistularum loci (II, 2_4, *eq. mihi decretum est* = *eq. ego decrevi*), et ad antecedentis voca-

(1) In Plauti comoediis eadem notione exstat, cum ea quae comparantur per *cum* praepositionem adiungantur. Cicero *iuxta* adverbium uno loco adhibet (cum sen. grat. ag. § 20 *iuxta ac si meus frater est*), ubi in Caesaris scriptis legitur b. Gall. II, 26_2 *iuxta* = prope, reliquis locis praepositionis vice fungitur.

buli vim cumulandam = denke, meine ich (1). In Historiis multo alia est eius particulae ratio, quae cum prima tantum persona verbi singularis iungatur pronomine *ego* non addito (2). Historiarum usus cum Ciceronis consentit (3), qui *equidem* ex *ego quidem* ortum arbitratus cum prima tantum persona singularis iungit, cum *ego* pronomen nusquam additum sit (4).

ne. ep. I, 6_1 *sin eadem studia... erunt, ne ista egregia tua virtus brevi concidet.* II, 11_7 *verum ubi... dicentur, ne illi superbiam... dimittent.* *ne* particulam gravissimae affirmationis in Latinitate non ita frequentem Sallustius ex optimorum scriptorum consuetudine semper cum pronomine aliquo coniungit. (Cf. Cat. 52_{27}, Jug. 14_{21}, 85_{20}). Cf. epistularum locos.

quin. ep. II, 2_4 *quin tu accipe ea quae* dicam... particula *quin* cum imperativo iuncta sermonis cotidiani est (5). Sall. Cat. 20_4 *quin igitur expergiscimini* satis perspici non potest, utrum verbi forma indicativi an imperativi loco habenda sit, Jug. 85_{14} certe: *quin igitur quod iuvat, id semper faciant, ament, potent* ante iussivum exstat.

igitur. ep. I, 3_1 *igitur quoniam tibi... agitandum est* 7_2 *igitur provideas oportet.* II, 7_2 *igitur, ubi adduxeris.... exerceto.* 10_6 *igitur ubi... oboedit, supervacuanea est.* 11_3 *igitur... confirmari posse senatum puto.* ep. I, 5_3 *firmanda igitur sunt concordiae bona et discordiae mala expellenda.* II, 5_6 *haec igitur multitudo.* Primum notandum est Sallustium coniunctione *igitur* creberrime usum

---

(1) Cf. Cat. 52_{11} *iam pridem equidem nos amisimus* 52_{16} *vanum eq. hoc consilium est*, 58_4.

(2) I, 77_6 *eq. putabam*, II, 98_4 *eq. fateor*, IV, 69_{13} *eq. coepi*, 69_{10} *scio equidem*.

(3) Cf. Madvigii annotationem ad Cic. de fin. p. 354, Seyffert-Mueller ad Lael p. 174.

(4) De particula *equidem* saepe a viris doctis disputatum est. Cf. Hand Turs. II, 422 sqq. Ribbeck, lat. Partik. p. 39, Skutsch Hermes XXX, 99, Jordan, Krit. Beiträge p. 314 sqq. Neue-Wagener, Formenlehre, II³, p. 922 sqq. Lindsay-Nohl, d. lat. Sprache, p. 692.

(5) Primaria particulae vis est *qui-ne = cur non*, et cum indicativo iuncta utebantur, qui acriter instabant. Cum eiusmodi interrogationes ad sensum imperativorum proxime accederent, indicativus imperativo excipiebatur propria particulae vi obruta. Cf. Leo ad Plauti Asin. 254, Nordenum in commentario ad Vergilii Aeneid. libr. VI², p. 329.

esse, multo frequentius quam ergo, aliquanto quam itaque (1). Deinde semper eam primum enuntiati locum obtinere exceptis interrogationibus, in quibus vocabulum interrogativum maiore numero effertur, et Historiarum loco III, 81 *hanc igitur redarguit Tarquinius.* Similis est locus ep. II, 5_6 *haec igitur multitudo*; I, 5_3 haud scio an chiasmi figurae gratia apud Sallustium satis frequentis *firmanda* initio enuntiati exstet, cui in fine respondeat *expellenda.*

In particula *igitur* usurpanda diversam scriptores secutos esse rationem iam Quintilianus annotat I, 5_{39} (2). Caesar non utitur nisi b. civ. I, 85_4, quo loco secundum enuntiati locum obtinet, Ciceronis exempla particulae in principio sententiae positae et pauca sunt (3) et semper fere in aperta et simplici conclusione insunt (4).

tametsi-tamen. ep. II, 3_3, 4_1, 8_6, 13_5. Usus enuntiatorum quae concessionem continent per *tametsi* incohandorum insequenti *tamen* in sententia primaria ipsius Sallustii proprius est et frequentissime ab eo adhibetur. Cicero in iis scriptis admittit quae iuvenis composuit. Frequentatus ab auctore ad Herennium et a Caesare quoque adamatus plurimum vigebat apud Sallustium (5). Kunze, Sallustiana III, p. 20 observavit usque ad Jugurthae locum 14_{22} in enuntiatis concessivis semper *tametsi-tamen* inveniri (praeter locos Cat. 3_5, 36_4 *cum* concessivum), cum inde a Jug. 38_9 nusquam recurreret, sed *quamquam* particula 14_{22} primum adhibita ei subiret. In epistulis quater *tametsi-tamen* exstat, semel *quamvis* (6), qui usus optime congruit cum priore Sallustii consuetudine postea in Jugurtha mutata.

(1) In epistulis igitur septies, itaque sexies, ergo ter invenitur.

(2) « *Ex quo genere an sit igitur initio sermonis positum dubitari potest, quia maximos auctores in diversa fuisse opinione video, cum apud alios sit etiam frequens, apud alios numquam reperiatur* ».

(3) In orationibus quater (Merguet).

(4) Cf. Madvig ad de fin. I, 18_{61}, Seyffert-Mueller l. l. p. 278. Praeter Sallustium initio sententiae ponunt Cato (cf. p. 9_5, 21_1 Jordan) et Varro.

(5) Cf. Woelfflin Philolog. 34, p. 142 sqq.: in Sallustii Catilina 17 locis.

(6) Ep. I, 1_4 *quamvis bonus atque clemens sit, qui plus potest tamen.... formeidatur,* ubi coniunctio et ad verbum et ad adiectiva *bonus* et *clemens* spectat.

VIII. — De epistularum vocabulis quae alibi in Sallustii scriptis non occurrunt, deque iis, quae Jordanus indicia ducit aevi posterioris.

Quod in epistulis aliquot vocabula exstant, quae in Sallustii Bellis Historiisque non occurrunt, mirum non est. Eundem pro parte rata numerum invenies, si Catilinam cum Jugurtha composueris. Neque omnia, quibus Sallustius utitur, ea sunt, quae archaismos diceres. Praeterea in epistulis vocabula publica similiaque adhibentur, quae alibi usurpandi non erat occasio. Quorum vocabulorum « abundantium » altera pars indicium est originis Sallustianae; cf. *additamentum* (cf. p. 12) *dispalari* (p. 18 sq.), *incuria* ep. I 1_3 vox rarissima (1). — altera quam enumerare supersedeo nihil habet singulare et ab aliis quoque eiusdem aetatis scriptoribus usurpatur (2).

Denique respicienda sunt ea, quae Jordano indicia visa sunt aevi posterioris (3): ep. II, 7_4 *magis aut minus mature* 7_{10} *magis aut minus indicaverit.* « Magis aut minus certe, si fides Handio Tursellini III, 570 ante Plinium maiorem, qui magis aut minus pro illo plus minusve dixerit, neminem sese nosse testanti nostri sane rhetoris eidem immemori » (Jordan l. l. p. 29). At — sicuti iam Hellwigius vidit (4) — *magis aut minus* Sallustianae dictioni magis convenire videtur quam *plus minusve. Plus* ab eo semper cum vi adiectiva aut substantiva adhibetur, nusquam cum vi adverbiali. « Denique adverbium quod est *multipliciter* eadem suasoria 10_5 obvium ante Quintilianum non videtur dictum esse

---

(1) De *incuriae* voce cf. Woelfflin Arch. f. lat. Lexicogr. IV, p. 408 — invenitur semel in Lucilii fragmentis, bis apud Ciceronem, postea in Taciti scriptis. Adiectivum *incuriosus* non minus rarum occurrit in Sall. Hist. frgm. IV, 36_1, adverbium frgm. II, 42.

(2) Cf. *creditor, debitor, membrum, candidus, fugax, corruere, mactare, pervadere, vacare.*

(3) Nuper rursus H. Last in « The Classical Quarterly » XVII, p. 158 offensioni non parvae esse contendit ep. I, 2_5 *cetera multitudo volgi more magis quam iudicio post alius alium quasi prudentiorem secuti*, ad quem locum Cortius annotaverat (in editione 1724): « sequi post mera barbaries » Sed cur non eandem barbariem castigaverunt in Sallustii Jug. 55_3 *meminisse post gloriam invidiam sequi* ?

(4) Hellwig, *De genuina Sallustii ad Caesarem epistula cum incerti alicuius suasoria iuncta*, diss. Lips., 1873, p. 9.

a quoquam » (l. l. p. 29) — Sed quoniam *simpliciter* aliaque exstabant, ne *multipliciter* quidem singulare est.

Praeterea mirum quid offenderit Jordanus in adiectivo *insiticius* ep. II, 11_3 *cum cetera multitudo pleraque insiticia sit*, ad quae conferas quae Hellwigius refutaverit l. l. p. 9. Lastius quoque (l. l. p. 154) Jordanum secutus est, cum affirmaret in adiectivo *insiticius* ponendo scriptoris animo obversatum esse locum invectivae in Ciceronem 1, 1 *quasi — ac non reperticius ac paulo ante insitus huic urbi civis* (de Cicerone). Sed et adiectivum *insiticius* propria notione apud Varronem legimus (r. rust. I, 2_5 *muli insiticii*, II, 8_1 *somnus insiticius*) et is est Sallustius, qui insolentia talia adiectiva posuerit: *advecticius* (Jug. 44_5 *vinum advecticium* pro *vino importato*) apud solum Sallustium legitur (1). ep. I, 1_9 *multo multoque asperius est* Jordanus ad Frontonis aetatem pertinere contendit, in cuius scriptis ter *multo multoque* reperitur. (l. l. p. 29). At Frontonem hoc ex sermone vetusto, haud scio an ex ipso epistulae loco mutuatum esse concludendum est. *Magis magisque* (ep. II, 13_7) plurimis exstat Sallustii locis (Cat. 5_7, 7_1, Jug. 6_2, 7_6, 53_1) (2).

Quae omnia quam sint infirma ad labefactandam originem Sallustianam apparet. Denique ad summam: quod ad usum attinet vocabulorum nihil est cur epistulas a Sallustio abiudicemus (ex copia supra allata liceat mihi exempli gratia in memoriam redigere quae disserui de voce *torpedinis* et *dispalandi*), immo vero in minutiis quoque singularem illam Sallustii dictionem reddunt (cf. quae de adverbiis et particulis disserui p. 21 sqq. — et minutiae illae ad quaestionem diiudicandam etiam maioris ponderis sunt, cum in iis conquirendis imitandisque rhetorem tam mira accuratione usum esse a veri specie etiam longius abest quam in vocabulis conspicuis notabilibusque). O mirum profecto rhetorem, qui talia imitando potuerit assequi.

B. — De syntaxi epistularum.

In orationis compositione Sallustius triplicem in universum rationem secutus est: et priorem usum retinuit et vulgarem qui

(1) Omnino addubitandum est, an insolens fuerit adiectivum (cf. Varronis locos supra allatos); quod raro obviam fit, per se intellegitur.

(2) *Multo multoque* ex *magis magisque* exemplo formatum esse videtur. Cf. etiam quod Cicero praeter *iamiam* habet etiam *iamiamque*.

dicitur adhibuit, praeterea in novis structuris suo ingenio usus est, qua in re etiam Graecorum, imprimis Thucydidis syntaxis imitatio valuit (1). In epistulis haecce notatione digna invenies:

Adverbia pro obiectis ponuntur: ep. I, 1_8 *plerique.... pervorse consulunt.* Verbum *consulendi* cum adverbio iunctum, quam structuram prorsus aspernatus est Cicero, in Sallustii scriptis saepius occurrit. (*male c.* Cat. 51_4, *bene c.* 52_{29}, Jug. 92_2, *gravius c.* Jug. 13_8, *honestius c.* 95_3).

Agam hoc loco etiam de eis locis, quibus verbis sentiendi et declarandi adverbia *sic* vel *ita* adiunguntur, quibus obiectum praenuntiatur postea per accusativum et infinitivum explicatum. ep. I, 5_2 *ego sic existumo.... cives manus conserturos*; Cf. plurimos Sallustii locos Cat. 51_{15}, Jug. 14_{12}: *sic exist.*, Cat. 14_7 *ita exist.* ep. I, 1_{10} *ac mihi sic videtur* (sequenti a. c. i.) cf. cum Cat. 51_{15} *ita censeo* (*publicandas pecunias*), ep. II, 6_2 = 10_4 *ego sic apud animum meum statuo,* ep. II, 10_3 *ego ita comperi* (.... omnia regna .... habuisse). Quae constructio a Catone frequentatur (cf. p. 24_3 (Jordan) *ita dicit,* 35_8 *ita dicunt,* 62_3 *sic accepi,* 67_3 *ita aiunt* insequenti acc. c. inf.).

De subiecti cum praedicato iunctura: Saepe occurrit in Sallustii scriptis constructio per synesin vocata, ut praedicatum substantivi numeri singularis, quod vim collectivam habet, plurali adhibeatur ratione sensus magis quam grammaticae formae habita (2). Item etiam in epistulis: I, 2_6 *ex queis magna pars .... defluxere, pauci restitere* (cf. e. gr. Jug. 32_3 *pars.... agebant,* 58_2 *magna pars occisi aut vulnerati,* 62_7 *magna pars adducti*). Qua constructione in prisca Latinitate vigente (veluti apud Catonem, Plautum) Cicero nusquam fere usus est.

De attractione pronominis *is:* ep. I, 4_3 *ea causa...., ut.* = *eius rei causa, ut.* Attractionis vi pronomen is cum sequenti substantivo coniungitur. Eiusmodi ablativos Sallustius veterum scriptorum morem secutus creberrime usurpat (3).

De pronomine «*quisque*» appositionis vicem obtinente: ep. I, 5_7 *uti suas quisque res curemus* 7_4 *reputans, quibus quisque rebus clari viri magnitudinem invenissent,* ad quae con-

(1) Cf. Norden, *Antike Kunstprosa,*[3] p. 202, Fighiera, l. l., p. 76.

(2) Cf. Fighiera, l. l., p. 80.

(3) Cf. *ea causa* Cat. 54_4, 57_7, *ea gratia* Jug. 80_4, *ea formidine* (= earum rerum formidine) Jug. 54_6, *eo dolore* Jug. 83_1.

feras Cat. 7_1 *coepere se quisque magis extollere.* Cat. 38_3 *quicumque pro sua quisque potentia certabant.* 43_1 *cetera multitudo.... suom quisque negotium exsequeretur*, 52_{23}, Jug. 18_3. Pronomen *quisque* subiecto numeri pluralis (1) quasi appositum vi additum est ad indicandum idem a pluribus seorsim fieri, cum praedicatum ei aptatum non sit. Quae species parataxis in prisca Latinitate usitata in Ciceronis Caesarisque scriptis perraro exstat.

De usu adiectivorum: Sallustius saepissime adiectiva neutralia numeri singularis vi substantivorum ita adhibet, ut ex praepositionibus pendeant, haud scio an Thucydidis exemplum secutus et quod sermo Latinus ei praebebat ultra solitam consuetudinem frequentans. Qui usus in epistulis quoque satis frequens est: *ad verum* (I, 5_1) *procul a vero* (II, 7_6) *in excelso* (II, 1_1) *in proclivi* (II 8_7).

De pronominum usu: ep. I, 2_4 *cum cetera multitudo volgi pleraque insiticia sit* II, 11_3 *cetera multitudo volgi*, Sallustius e vetusti sermonis more singularis formas adiectivi pronominalis saepius adhibet (2).

De casibus.

Accusativus nudus post verbum *invadendi* positus ep. II, 8_7, 10_9 familiaris est constructio Sallustio (3), qui nonnulla verba ex praepositione composita, quae in florenti quam dicimus Latinitate praepositionem asciscunt, cum accusativo coniungit (4). Qua cum ratione convenit etiam verbi *pervadendi* constructio ep. I, 6_3 *omnia aspera pervade* (5).

Figuram etymologicam iuxta positis per « alliterationem » verbo substantivoque ex verbo derivato legas: ep. II, 2_4 *tanta et tam praeclara facinora fecit ; facinus facere* locutio in Sallustii scriptis satis saepe obvia a Cicerone et Caesare aliena est. Praeterea ep. I, 7_5 *pervorsam gratiam gratificans* (6) et quo

(1) Ep. I, 7_4 subiectum in verbo latet ut Cat. 7_1.

(2) Cf. *ceterum exercitum, cetera multitudo, inter ceteram planitiem.*

(3) Cf. p. 20,

(4) Cf. Fighiera, l. l., p. 126.

(5) Hoc verbum ἀρχαίως dictum alibi apud Sallustium non legitur ; cf. etiam *omnes asperitates supervadere.* Jug. 75_2.

(6) Verbum *gratificandi* cotidiani sermonis proprium a Sallustio adhibetur Jug. 3_4.

loco pro accusativo substantivi ablativus modi exstat: ep. I, 7_4 *quae res.... populos.... magnis auctibus auxissent*, quocum comparari potest Sall. Hist. frgm. I, 43 *ne simplici quidem morte moriebantur*.

Genetivus post verbum egendi II, 5_3: *nulluis honestae rei egens* plurimis Sallustii locis occurrit.

Ablativi causae solutiores, i. e. ablativi causae iunctae cum verbis intransitivis aut passiva vi adhibitis, quae statum mentis indicant omissis participiis qualibus *adductus, commotus*, in Ciceronis scriptis perrarae apud Sallustium saepius reperiuntur. Cf. Cat. 6_6, 51_{16}, Jug. 54_6, 74_1: *ceteri formidine.... profugerant*, quibus locis addas epistulae II, 6_3 *metu, ne.... solus rerum poteretur,... consilia disturbaverunt*.

Iuxta ablativum instrumentalem ad denotandum quomodo quid factum sit Sallustius creberrime praepositione *per* cum accusativo iuncta utitur (1). Cf. epistularum locos: *per iniuriam* (I, 2_2, 8_3), *per inertiam* II, 9_3, 10_4; *per libidinem* I, 1_1, *per otium* I, 4_4 *per summum scelus* I, 4_1 *per servitium* II, 3_5, *per socordiam* II, 12_5, *per virtutem* II, 7_5, 10_5.

De temporibus et modis.

I. *postquam et ubi* particularum structura a Sallustio admodum variata est. Quamquam ut alii scriptores plerumque cum perfecto coniunxit (2), tamen compluribus locis etiam aliis temporibus. Praesenti tempore a *postquam* vel *ubi* pendente praecipue verborum *sentiendi* et *declarandi* utitur (3). Quae sola structura est, ubi agitur de verbo *videndi* (4). Eodem modo res sese habet in ep. I, 2_6 *ubi vident.... defluxere*.

Infinitivi historici, quorum usus in Sallustii scriptis latissime patet, occurrunt: ep. I, 2_3 *per idem tempus... concurrere in castra tua et... mortem, rapinas... minitari*.

forem eadem vi qua *essem* participio passivi adiunctum in

(1) Cf. locos, quibus variae constructiones confunduntur. Jug. 4_7 *furtim et per latrocinia*, Cat. 13_2 *quas honeste habere licebat, abuti per turpitudinem properabant*. Jug. 7_1 *neque per vim neque insidiis*.

(2) Sic etiam ep. I, 8_6, II, 5_4, 6_4, 7_4, 9_4, 10_2, 13_7.

(3) Cf. Fighiera, l. l., p. 178.

(4) Cf. e. gr. Jug. 7_1, 20_1, 50_3: *ubi videt*.

enuntiato condicionali irrealitatem indicante legitur ep. I, 2_3 *neque si pati potuisset, orbis terrarum bello concussus foret,* quae sola est Sallustii structura in eiusmodo enuntiatis (1).

II. Sallustius saepe e priscae syntaxis more indicativum ponit, ubi eiusdem aetatis scriptores coniunctivo utuntur perfectiorem quandam magisque progressam cogitatorum rationem secuti. Semper post adverbium *quippe* et in primario et in relativo enuntiato indicativum usurpat, cum Cicero *quippe qui* cum coniunctivo coniunxerit. In epistulis indicativus subiungitur: II, 5_7 *quippe... cura orietur,* 7_7 *quippe gloria... alitur* 10_8 *quippe... una res publica erat,* coniunctivus: ep. I, 7_1 *quippe res parvas tantum ingenium attingere nequiret* (2), ep. II, 9_3, ubi enuntiatum relativum obliquae orationi insertum est.

Coniunctivus potentialis secundae personae singularis indeterminatae a Sallustio saepius adhibetur (3). Epistularum huc referendi sunt loci II, 7_7 *...gloria industria alitur, ubi eam demperis, ipsa per se virtus amara... est.* 8_3 *malitia praemiis exercetur, ubi ea demperis, nemo... malus est.*

Infinitivum Sallustius aliquot verbis subiunxit, quae e vulgari consuetudine *ut, ne, quominus* particulas vel aliam structuram postulabant, vetustam rationem dicendi vel Graecorum usum secutus. Eiusmodi structurae in epistulis sunt: II, 5_7 *ubi eos inertia atque inopia incertas domos habere subegit. Subigendi* verbum cum infinitivo iunctum est Cat 10_5, 51_{18}, Jug. 24_2, 31_4, 44_4 (4) ep. II, 1_4 *mihi consilium fuit famam modestiamque meam post tuam dignitatem haberei et quoius rei lubet periculum facere. consilium fuit = constitui.* Cf. Cat. 4_1, 53_6, Hist. frgm. I, 55_{18}, $_{26}$ 77_2 IV, 69_{10}: structura propria sermonis familiaris.

Accusativus cum infinitivo post adverbium scilicet ep. I, 4_3 *scilicet id certatum esse* rara est structura sed prisco

---

(1) Fighiera, l. l., p. 186.

(2) Hoc loco coniunctivus irrealitatem indicat, falso de illa re Hellwig, l. l. 11.

(3) Cf. Fighiera, l. l., p. 193: semper in enuntiato secundario cf. Cat. 1_6 *prius quam incipias consulto et ubi consulueris mature facto opus est.* 20_9 *ubi alienae superbiae ludibrio fueris.* 51_{24}.

(4) Quae constructio verbi *subigendi* notione *cogendi, impellendi, ut...* Ciceroni Caesarique nota non est.

vocabuli etymo adcommodata. Sallustius ea utitur Jug. 4_6, 113_3, Hist. I, 77_5.

Gerundium in sermone Sallustiano late patet. Etiam in epistulis frequentatur: I, 5_8 *magnitudinem animi in addendo, non demendo rei publicae ostendere.* I, 7_5 *non adsentando neque concupita praebendo..., sed... exercitando.* I, 8_5 *suas deserendo domos et... alienas occupando.* II, 1_6 *ut prius defessi sint... laudando atque admirando quam tu faciundo...* II, 4_2 (quin) *male faciundo ac dicundo eversum irent.* II, 10_1 *multa legendo atque audiendo ita comperi* (1).

Supinum iunctum cum verbo eundi: ep. II, 4_2 *...non inflexit, quin eversum irent = everterent, evertere studerent* in Sallustii scriptis satis saepe obvium fit (2). Videtur scriptor in hac structura adhibenda Catonis secutus esse exemplum (3).

Variae de coordinatione observationes.

Singula vocabula particulis copulantur: ep. I, 3_1 *quae... nosque maioresque nostri... tribuere.* Talis per *-que- que* copulandi ratio sermoni Sallustiano familiaris est (Cat. 9_3, 34_1, Jug. 10_2, 21_4, 79_9, 85_{36}). Semper alterum vocabulorum eo modo nexorum pronomen est (4), quod accidit etiam epistulae loco (5). ep. I, 5_1 *quoniam tuque et omnes tui agitatis.* Usus duarum notionum per *-que -et* copulandarum, ut *-que* priori abundans adiciatur, communis est Sallustio cum poetis comicis, et semper apud eum prior notionum tali modo iunctarum pronomen est vel adverbium pronominale (6). Idem in epistula quoque obvenit. In Ciceronis et Caesaris scriptis talia non exstant neque quae

(1) Cf. e Sallustii Bellorum locis Cat. 54_3 *Caesar dando, sublevando, ignoscundo, Cato nihil largiundo gloriam adeptus erat.* Jug. 7_4, 16_3.

(2) Fighiera, l. l., p. 213. *ereptum ire* Jug. 85_{42}, *perditum ire* Cat. 36_4, 52_{12}, *raptum ire* Hist. frgm. I, 55_{20}, *ultum ire* Jug. 31_{27}.

(3) Cf. p. 17_6, 35_9, 51_2, 63_7, 80_{11} (Jordan).

(4) Cf. Kunze, *Sallustiana,* III, p. 45.

(5) Quae ratio nectendi a Cicerone et Caesare aliena et prisca et poetica est. Primus Ennius Homeri -τε -τε imitatus hexametrum per -que -que clausit. Cf. Norden in commentario ad. Aen. VI, p. 228, Ed. Fraenkel « Plautinisches im Plautus ». p. 209 sqq.

(6) Cf. Kunze, *Sallustiana,* III, p. 43.

leguntur ep. I, 6_1 *illosque nosque et socios in pace... constituas* I, 7_5 *in labore, patientia, bonisque praeceptis et factis fortibus exercitando,* quibus locis notionibus antecedentibus per *que* comprehensis postrema quaedam per *et* additur (1).

Quattuor notiones Sallustius saepe ita composuit, ut priores duae nulla particula interposita alterum membrum, alterum posteriores per *atque* coniunctae efficerent, qua re communes copulandi leges consulto rupit (2). Cf. e. gr. Cat. 51_4, 51_9. Addendus est: ep. II, 8_4 *oppida, agros, fana atque domos.* Sequenti enuntiato *fama, pudicitia, liberis, patria atque parentibus* post tres ἀσυνδέτως coniunctas voces quarta et quinta per *atque* comprehenduntur.

In nectendis singulis enuntiatis Sallustius summa usus est simplicitate et constantia, cum iisdem semper particulis ea adiungeret. Eadem simplicitas et constantia in epistulis eminet: Latissime patet usus particulae *sed,* qua saepe mera transitio significatur (3). Cf. ep. I, 1_2, 1_7, 2_1, 2_7, II, 1_3, 1_6, 3_1, 3_6, 5_3, 5_4, 6_1, 6_4, 7_3, 7_6, 7_{11}, 8_1, 9_1, 9_3, 12_2, 12_4, praeterea *igitur* (cf. quae supra disserui p. 24 sq.), *nam, namque* (4). Cf. I, 1_6, 2_3, 6_4, 7_4, 8_1, 8_3, 8_5, 8_{10}. II, 2_3, 3_7, 4_3, 7_4, 7_6, 7_9, 8_7, 10_5, 11_6, 12_3, 12_7. *verum.* I, 8_3, 8_9 (verum enim), II 8_5, 11_4, 11_7 *ceterum* (cf. locos allatos p. 21). *atque ego* I, 6_4, II, 10_3.

Sed haec ad universam dictionem magis pertinent.

C. — De auctoris elocutione atque ingenio.

I.

Quod ex usu vocabulorum syntaxique demonstrari poterat singularem illam Sallustii dictionem epistulis ubique repraesentari, etiam confirmatur, si totum genus dicendi respexeris cum indole atque ingenio Sallustii mire congruens. Neque rhetoris

---

(1) Cf. e. gr. Jug, 1_3 *pollens potensque et clarus,* 21_3 *vineis turribusque et machinis,* omnia exempla trimembria sunt, quattuor (cf. ep. locum) membra uno inveni loco Hist. I, 55_4 *a Pyrrho, Hannibale Philippoque et Antiocho.*

(2) Cf. Ed. Norden, *De Minucii Felicis aetate et genere dicendi.* Progr. Greifswald, 1897, p. 57, Woelfflin Archiv f. lat. Lexicogr. XI, p. 32.

(3) Cf. Kunze, l. l., p. 55.

(4) Cf. Kunze, l. l., p. 53 sqq.

alicuius imitationem laboriosam introspicies sed « sanguinem et medullam » ipsius Sallustii. Sed necesse est in genera distribuamus singulas res, quae totum illud efficiunt.

Maxime insignis est Sallustiani stili *varietas* — non in summa, nam saepissime easdem locutiones repetit, sed in eiusdem periodi complexione. Concinnitatem periodorum a Cicerone maxime dilectam aemulator ille Thucydidis Catonisque non modo non sectatur, sed etiam de industria disturbat. Appetit inaequalitatem, periodos componit non molliter labentes, ut « verba verbis quasi dimensa et paria respondeant » — quamquam paucis locis haec quoque inveniuntur — sed multo magis inaequales, praefactos, salebrosos cogitatis eius optime convenientes (1). Eadem illa inaequalitas varietasque in epistulis quoque eminet, cuius rei singula liceat perstringamus exempla:

ep. I, 2_6 *magna pars.... defluxere — pauci restitere.* I, 8_6, *cum alii triginta, pars nullum stipendium facient.* 8_{10}, *sive hac seu meliore alia via.* Cf. e. gr. Jug. 32_3 *fuere qui..., alii..., pars.* 58_2 *alii..., magna pars....* 62_7 *magna pars.... pauci.*

ep. II, 11_6 iuxta leguntur variae perfecti formae : *adfuerunt.... distinuere.*

Adiectivum in altero membro, in altero substantivum : I, 2_2 *cum homine claro, magnis opibus, avido potentiae, maiore fortuna quam sapientia.* 3_4 *qui me.... corruptorem victoriae tuae nimisque in victos bona voluntate praedicent.* II, 11_2 *maioribus opibus res publica et minus potens nobilitas esset.* (Cf. e. gr. Cat. 37_8 *homines egentes, malis moribus, maxuma spe.* Jug. 6_1 *pollens viribus, decora facie..... ingenio validus*).

Substantivum in altero membro, in altero enuntiatum subiunctum : I 7_1, *fretus est* (sc. animus) *negotii magnitudine, et quia.... componenda sunt.* II, 3_1 *Cn. Pompeius aut animi pravitate aut quia nihil.... maluit.... ita lapsus est.* addas II, 1_6 *idque non temere neque ex fortuna tua decrevi, sed quia.... comperi.* (Cf. Cat. 5_9 *instituta maiorum, quomodo.... habuerint.* 47_1 *interrogatus de itinere, de litteris, postremo quid aut qua de causa consili habuisset.* 16_4 *amicis confisus, simul quod....* Jug. 43_5 *quom propter artis bonas, tum quod.... gerebat*).

(1) De Sallustii stili varietate cf. Norden, *Antike Kunstprosa*³, p. 203 sqq., Fighiera, l. l., p. 230 sqq.

Variae confunduntur constructiones: I, 6_5 *ea vera clementia erit consuluisse, ne cives..... expellerentur, retinuisse..., pacem stabilivisse, non si.... concesseris.* II, 2_2 *neque eo.... tibi scripsi, quia.... probaretur, sed ... statui* (Cf. Cat. 51_{43} *censeo publicandas pecunias.... neu quis.... referat*).

Variantur coniunctiones copulativae: ep. II, 11_4 *iuxta bonis et malis, strenuis atque ignavis.* (Cf. Cat. 53_2 *domi militiaeque mari atque terra,* 67_2 *boni malique strenui et imbelles*).

Utrum varietatis studio tribuendus sit etiam mos Sallustii verborum ordinem in oppositis invertendi an in luminibus quae admisit orationis numerandus incerta haereo. At certe magna arte ut in Sallustii Bellis Historiisque (1), ita in epistulis quoque adhibetur: I, 5_3 *firmanda igitur sunt concordiae bona et discordiae mala expellenda.* 3_4 *caede caedem et sanguinem sanguine expiare.* 5_6 *fertur accensus in socios modo, modo in civis* (2). II, 4_2 extr., 7_6.

Etiam antithesium usus (3) in epistulis invenitur: ep. I, 1_8 *victores praedam petunt, victi cives sunt.* 5_3 *firmanda.... sunt concordiae bona et discordiae mala expellenda.* 5_8 *magistratum populo, non creditori gerere et magnitudinem animi in addendo, non demendo rei pulicae ostendere.* 7_4 *omnesque victores divitias contempsisse et victos cupivisse.* II, 7_5 *quae civitates.... per opulentiam magna imperia amiserint, quae per virtutem inopes ceperant.*

Saepius alteri notioni alteram per *magis quam* opponit iis potissimum locis, quibus viri alicuius mores describit: Insigni acumine de Pompeio dicitur ep. I, 2_2: *bellum tibi* (sc. Caesari) *fuit.... cum homine claro, magnis opibus, avido potentiae, maiore fortuna quam sapientia,* de Bibulo ep. II, 9_1: *magis malus quam callidus ingenio.* (Cf. Jug. 20_2 de Adherbale: *metuens magis quam metuendus.* Jug. 44_1 *exercitus- lingua quam manu promptior.* Jug. 85_{46} *exercitus magis strenuos quam felix* (4).

---

(1) Cf. Meyer, *Wort = u. Satzstellung bei Sallust.* Progr. d. Pädagogiums Magdeburg, 1880, p. 6 sqq., Fighiera, l. l., p. 234, n. 2.

(2) Ex undecim Sallustii locis, ubi *modo-modo* adhibetur, octo chiasmi figuram praebent, cum ceteri scriptores modo-modo semper seiungant.

(3) De Sallustii antithetis cf. Norden, *Antike Kunstprosa*³, p. 203.

(4) Cf. praeterea in epistulis I, 3_2 *magis acerba quam diuturna* 6_4 *respublica... vastatur magis quam corrigitur* 2_4 *more magis quam iudicio.* Cf. Jug 8_1 *nobiles... clari magis quam honesti,* Cat. 6_5 *magis dandis quam accipiundis beneficiis.*

Brevitatem Sallustiani generis dicendi eximiam esse virtutem iam veteres scriptores notaverunt. Livius (1) brevitate Sallustium etiam Thucydidem superare iudicat, Seneca (ep. 114_{16}) de *obscura Sallustii brevitate* loquitur, Apuleius opulentiae Ciceronis parsimoniam Sallustii opponit. Epistularum quoque astricta brevitas propria est.

Latissime patet et plurimum valet ad augendam orationis concisam brevitatem ellipsis quae proprie dicitur imprimis infinitivi *esse*. (Cf. Kunze l. l. III, p. 42). Cf. epistularum locos I, 4_1, 5_2, 6_1, 8_9 II, 2_2, 6_1, 6_3, 7_5, 12, 13_6. Sed etiam indicativo et coniunctivo verbi *esse* omisso abrupte et dure Sallustii cadunt periodi (2). Cf. ep. I, 2_7 *immane dictust, quanti et quam multi mortales postea ad Pompeium discesserint eoque per omne tempus belli quasi sacro atque inspoliato fano debitores usi.* I, 2_4 *cetera multitudo volgi more magis quam iudicio post alius alium quasi prudentiorem secuti.* Iuxta ellipsin asyndeta ad brevitatem pertinent. Duo vocabula demptis coniunctionibus alterum alteri asseruntur, quae ratio vetusti sermonis propria est: ep. I, 1_9 *magna mediocri sapientia,* II, 3_3 *dant adimunt,* 3_4 *trahunt rapiunt,* 3_7 *tot tam illustris familias,* 4_2 *non luctus gemitus virorum mulierum,* 5_5 *populus qui dominus erat, cunctis gentibus imperitabat,* 10_7 *adest festinat* (3). Plurima tergemina, apud alios quoque Caesarianae aetatis scriptores usitata: cf. II, 3_3 *armis viris opulentia.* 8_4 *belua fera immanis intoleranda.* 9_3 *ingenium versutum loquax callidum.* 10_3, 10_7, 10_9, 11_3, 11_6. Quatergemina II, 7_9 *fides probitas pudor pudicitia* (sed cf. p. 33. *oppida, agros fana atque domos*).

Creberrime quoque in epistulis more Sallustiano totae sententiae ἀσυνδέτως asseruntur, qua re magna sermoni additur vis et perspicuitas. Abundant exempla, quamcunque paginam introspicies. De parataxi enumerativa, explicativa, adversativa, summativa (4) cf. e. gr. ep. II, 2_4, 3_2, 5_3, 7_1, 7_{11}, 9_3, 10_2 10_7, 10_8, 11_5. Quae omnia cum e consuetudine sint Sallustiana, insigne

(1) Cf. Seneca, contr. IX, 1_{1}.

(2) Cf. Jug. 88_6, 113_1.

(3) Bina vocabula Sallustius raro ἀσυνδέτως adiungit. Cf. Ahlberg, *Prolegomena in Sallust.*, p. 179.

(4) De variis asyndeti et parataxis apud Sallustium generibus cf. Kunze, l. l., III, p. 50 sqq.

allatum sit testimonium ep. I, 2_6 *pauci restitere, quibus maius otium in castris quam Romae futurum erat: tanta vis creditorum impendebat* astricta brevitate dictum. Cf. plurima Sallustii exempla Cat. 33_3 *neque licuit habere: tanta saevitia faeneratorum fuit.* 36_5 *neque discessit, tanta vis morbi invaserat,* Jug. 27_2, 32_3, 40_3, 56_6.

. Sed insidet Sallustiana brevitas in iis quoque rebus, quae tam in aperto non sunt, in crebro gerundii usu (cf. p. 32), in conformatione cogitandi verborum parcissima. Talia non imitatoris sunt, sed eiusdem Sallustii vestigia et vultus. Insigni densitate, ut nihil possit demi (1), Caesaris post victoriam describitur status (ep. I, 1_8) *ad hoc victores praedam petunt, victi cives sunt.* Astricta brevitate conceptus est locus, quo Caesar admonetur, ne iuventuti pravas voluptates concedat (cf. I, 6_5): *ea vera clementia erit consuluisse, ne... cives... expellerentur, retinuisse ab stultitia... pacem et concordiam stabilivisse non si...... praesens gaudium quom mox futuro malo concesseris.* Non raro substantivum totius enuntiati vice fungitur: II, 4_3 *optatius habent ex tua calamitate periculum libertatis facere quam per te populi Romani imperium maximum ex magno fieri:* II, 11_5 *duabus rebus confirmari posse senatum puto: si numero auctus per tabellam sententiam feret. tabella obtentui erit..., in multitudine... usus... erit* (2). Addas adverbii *aliter* usum, ubi Cicero totum enuntiatum ponit. (Cf. supra p. 21). Reticetur inter duo enuntiata sententia qua coniunguntur: I, 7_1 *res parvas tantum ingenium attingere nequiret, magnae curae magna merces est.*

Quae contra brevitatis legem pugnare videntur, aut e vetusti sermonis gravitate pendent (cf. *tametsi-tamen* p. 25, *que-que* p. 32, ep. II, 13_8, qua sententia epistulam fere precum ex more sollemniter conclusit: *deos immortales optestor, ut quocumque modo ages, ea res tibi reique publicae prospere eveniat* (3) aut sermonis vim augent. Plerumque duo substantiva ita coniuncta sunt, ut alterum alterius significationem amplificet: I, 2_5 *probro*

---

(1) Cf. SENECA, contr. IX, 1_1: *ex Sallustii sententia nihil demi sine detrimento sensus potest.*

(2) Cf. Sallustianae brevitatis exempla: Jug. 5_4 *post magnitudinem nominis Romani* (sc. Hannibal opes adtriverat.) = *postquam res Romana magna facta est* Jug. 36_3 *ex tanta properantia* = *cum tam p. esset.*

(3) Cf. Cat. 18_8 *quia nondum... convenerant, ea res diremit.*

ac luxuria ; 3_5 *benignitate et clementia ;* 6_1 *studia artesque ;* II, 3_4 *libidine ac licentia ;* 8_7 *desidia et inertia, stupor atque torpedo,* 10_9 *socordiae atque ignaviae* (1); item adiectiva: I, 1_4 *bonus atque clemens ;* 3_3 *laeta et candida ;* 4_2 *saeva atque crudelia ;* II, 1_1 *difficile atque asperum ;* 6_1 *non inscius neque imprudens ;* 7_7 *amara atque aspera* (2).

In hoc genere dicendi inaequali et duro, brevi et abrupto, maximae simplicitatis et constantiae in enuntiatis conformandis nectendisque emicant vetusta illa vocabula sonantia et praegnanti vi praedita, quae supra congessimus (p. 12 sqq.), verba intensiva (p. 17 sqq.), simplicia pro compositis adhibita (cf. *fatigare* p. 19, *memorare* p. 20, et in quibus fortis aliqua et valida inest imago translationibus (3): ep. I, 2_2 *quos adfinitas aut alia necessitudo traxit* 1_8 *inter difficultates evadendum est.* 6_3 *omnia aspera pervade ;* 4_1 *oblivio interfecit.* 8_9 *ad vituperanda aliena facta... ardet omnibus animus,* 8_9 *meditata pectore evolvere ;* cf .II, 7_6 *primo aestuat multaque in pectore volvit ;* II, 2_4 *arma inermis disiecit ;* 3_1 *tela in manus iecit ;* 9_4 *M. Bibuli fortitudo atque animi vis in consulatum erupit.* 11_1 *patres... oppressi... huc atque illuc fluctuantes agitantur.*

Talia eiusdem sunt scriptoris qualia: Jug. 6_7 *his difficultatibus circumventus* (cf. ep. I, 1_8) 75_2 *omnes asperitates supervadere* (cf. ep. I, 6_8 *omnia aspera pervade*) Cat. 23_6 *nobilitas invidia aestuabat* (cf. ep. II, 7_6, I, 8_9) Cat. 5_4 *ardens in cupiditatibus* Cat. 3_5 *cupido... vexabat* 10_1 *saevire fortuna coepit.* Jug. 29_2 *a bono in pravom... abstractus.* Jug. 31_{16} *res publica vastatur.* 85_{26} *maledictis lacerent.*

Parcus epithetorum ornantium nisi vigentia non ponit: *animus ferox* (cf. supra p. 17), *animus ingens* (ep. II, 10_7 de a. maiorum), *animus immanis* (II, 4_2 de nobilium a.), *animus praeceps* II, 3_7, *animo hebeti atque claudo* ep. I, 8_2, *bellum aeternum et anceps* (*quoniam neque adversus, neque a tergo aut lateribus tutus sis*) ep. I, 3_2, *bellis asperrumis* II, 10_7, *ventri et profundae lubidini*

(1) *Socordia atque ignavia:* Cat. 52_{29}, 58_4. Jug. 31_2, Hist. frgm. I, 77_{11}, *socordia atque desidia* Cat. 4_1, *dolis atque fallacis* Cat. 11_2.

(2) Cf. *pollens potensque* Jug. 1_3, *clara aeternaque* Cat. 1_4, *asperum atque difficile* Cat. 40_4 *asperius acerbiusque* Jug. 41_4.

(3) Cf. etiam verbum *invadendi* p. 20.

I, 4_3, *amplissima regna* I, 7_4 *pro iis amplissimis beneficiis* II, 13_3, *urbem amplissimo nomine* 13_5 (1).

Singulae res manifesto demonstrant Sallustium. Coniunctae sunt in unum quiddam, quod non congestum est vel conglutinatum, sed certis validisque lineamentis distinctum. Unius ingenii vis et alacritas movet et continet.

II.

Quod ingenium ut totum animo complectamur, ab scriptoris elocutione ad cogitandi rationem transeamus, quam cognoscere nobis licet ex iis potissimum rebus, quas sensit de re publica.

Obversatur scriptoris animo perfectae rei publicae status, qui firmo nitebatur concordiae fundamento bonorumque et patrum et plebis morum disciplina. Sed fortunata illa aetas praeteriit. Illis temporibus, cum non nimia appetebant sed paucis contenti rei publicae consulere hostesque propellere studebant, apud patres dignitas erat, plebs libertate fruebatur (2). Quod prorsus fit e sensu Sallustii neque imitationis prae se fert speciem, sed sua vi locis suis erupit. Comparanda sunt Catilinae capita 7 sqq., quibus Sallustius florentem praeteriti temporis statum exponit hostibus formidulosum, armorum vi potentem, optimis civium moribus auctum, ubi gaudii quendam impetum prodit illud : *virtus omnia domuerat.* (7_6) (3).

---

(1) Cf. *vastus animus* Cat. 5_5, *animo ingenti* (sc. Sulla fuit) Jug. 95_3, *anceps malum* Cat. 29_4, Jug. 67_2, *anceps periculum* Jug. 38_5, *profunda avaritia* Jug. 81_1, *profunda imperi cupido* Hist. frgm. IV, 69_5, *acerba necessitudo* Jug. 102_5.

(2) Ep. II, 5_3 *plebs eo libere agitabat quia nullius potentia super leges erat neque divitiis aut superbia sed bona fama factisqae fortibus nobilis ignobilem anteibat. humillimus quisque in agris aut in militia nullius honestae rei egens satis sibi satisque patriae erat* 10_7 ... *maiores nostri... apud illos una res publica erat, ei omnes consulebant... corpus atque ingenium patriae non suae quisque potentiae exercitabat.* Apud *maiores* omnia bene sese habuisse cf. Cat. 12_3 *maiores nostri, religiosissumi mortales,* Cat. 51_{37}, 52_{19} sqq. Jug. $85_{17,36}$.

(3) 7_7 *gloriam ingentem, divitias honestas volebant.* 9_2 *iurgia discordias simultates cum hostibus exercebant, civis cum civibus de virtute certabant.*$_3$ *duabus his artibus audacia in bello, ubi pax evenerat aequitate seque remque publicam curabant* Jug. 41_2 *ante Carthaginem deletam populus et senatus Romanus placide... inter se rem publicam tractabant.*

Sed quaenam florentem illam rem publicam perdiderunt? Quamquam imperium crevit atque auctum est (1), domesticae res gravissimis morbis laborant (2), cum firmissimum fundamentum in maiorum virtute et moribus positum corruerit. Quod in epistula prima dictum est (1_8) multo esse difficilius pacis bonis artibus rem publicam firmare quam armis ab hostibus defendere, penitus conspirat cum ingenio Sallustii, qui in Catilina, Iugurtha Historiisque demonstrat bella contentionesque cives in bonis artibus retinuisse, summum conversionis et inclinationis periculum eo tempore accidisse, quo vacui a metu hostili otio atque abundantia abutebantur (3). Nam idem est et totius rei publicae et singulorum civium summum bonum in iis positum bonis artibus, quae secundum hominis duplicem naturam ex animo et corpore compositam animi propriae sunt. Eo sano ac valente imperatore utendum est (4). Quod si fit — et hoc loco mirabili dicitur brevitate et verborum magnificentia Sallustii propria, ubi de istis rebus loquitur — cognationem cum dis adipiscimur: I, 7_5 *neque aliter quisquam extollere sese et divina mortalis attingere potest* (5), *nisi omissis pecuniae et corporis gaudiis animo indulgens, non adsentando neque concupita praebendo per-*

---

(1) Cf. ep. I, 5_2 *aliter* (i. e. nisi cives ipsi se perdunt) *non orbis terrarum neque cunctae gentes conglobatae movere aut contundere queunt hoc imperium.* II, 13_6 *si morbo iam aut fato huic imperio secus accidat, cui dubium est, quin per orbem terrarum vastitas, bella, caedes oriantur?*

(2) Cf. praecipue Hist. frgm I, 11: *res Romana plurimum imperio valuit Servio Sulpicio et M. Marcello consulibus omni Gallia... perdomita* (i. e. anno a. Chr. n. 51) *optumis autem moribus et maxuma concordia egit inter secundum atque postremum bellum Punicum.* Cat. 36_4 *ea tempestate mihi imperium multo maxume miserabile visum est, quoi quom ad occasum ab ortu solis omnia domita armis parerent... fuere tamen cives, qui seque remque publicam... perditum irent.* Cat. 52_{19} sqq.

(3) Cf. Cat. 10 sq., Jug. 41_3 sq., Hist. frgm. I, 12, ep. I, 6_5 *praesens gaudium quom mox futuro malo* II, 10_3 *omnia regna item civitates et nationes usque eo prosperum imperium habuisse, dum apud eos vera consilia valuerunt.*

(4) Ep. I, 8_2 *ubi animum, quem dominari decebat, servitio oppressere* II, 10_2 *haud ferme... corpus exercui, sed animum in litteris agitavi; quod natura firmius erat, id in laboribus habui.* 10_6 *ubi plebs senatui sicuti corpus animo oboedit eiusque consulta exsequitur.* — Cf. e. gr. Jug. 1_3 *sed dux atque imperator vitae mortalium animus est.*

(5) Cf. Cat. 1_2 *alterum* (sc. animus) *nobis cum dis commune est.* Jug. 1_5 *pro mortalibus gloria aeterni fierent.* 2_3 *animus incorruptus aeternus.*

vorsam gratiam gratificans, sed in labore patientia bonisque praeceptis et factis fortibus exercitando. Si animus procubuit (2) atque elanguit (1), si corpori et falsis voluptatibus cessit, mores a recto desciscunt et cetera ruinam sequuntur. Vera virtus amara atque aspera (II, 7_7) semper tenenda et colenda est, numquam industria (3) omittenda. Talia proxime accedere ad ea, quae Sallustius in prooemiis Catilinae et Iugurthae « nihil ad historiam pertinentibus » (Quint. inst. or. III, 8_9) exposuit, vix est quod moneam. Sed re vera illa principia nihilne ad historiam pertinent? Tota eorum quaestio cum hoc loco tractari aut diiudicari non possit, hoc tamen dictum sit mihi quidem ea videri vel intimo nexu cum sequentibus cohaerere. Nam quid aliud historia docet nisi maiorum virtutem periisse, animum falsis cupiditatibus succubuisse (4)?

Nam ubi mali mores invadunt (cf. p. 20), sicuti morbi taetri (5) rei publicae perniciei sunt, omnia polluunt (6) atque praecipitant (7). Quorum summum malum *avaritia* est, studium pecuniae, qua aliae quoque artes bonae depravantur: ep. I, 8_3 *haec et omnia mala pariter cum honore pecuniae desinent.* II, 7_4 *ubi cupido divitiarum invasit, neque disciplina neque artes bonae neque ingenium ullum satis pollet, quin animus.... succumbat.* 7_8 *ubi divitiae clarae habentur, ibi omnia bona vilia sunt fides, probitas,*

(1) Cf. ep. II, 7_4 *quin animus... succumbat.*

(2) Ep. I, 8_2 *animo hebeti atque claudo* — Cf. Cat. 12_1 *hebescere virtus coepit.*

(3) Quam Sallustianum illud arte comprehensum ep. I, 1_3 *ut fabricata sic virtute parta quam magna industria haberei decet, ne incuria deformentur aut corruant infirmata.* (Cf. supra p. 40 cum ann. 3); in eo ipso Sallustius causam videt corruptionis, quod quae maiorum virtute parta erant posteri non industria neque labore retinebant. Cf. praeter locos supra allatos. Cat. 2_4 *nam imperium facile iis artibus retinetur, quibus initio partum est; verum ubi pro labore desidia, pro continentia et aequitate lubido atque superbia invasere, fortuna simul cum moribus immutatur.* Jug. 1_2 *magis naturae industriam hominum quam vim aut tempus deesse.*

(4) Repetitur de animo ratiocinatio in oratione Caesaris 51_3 *ubi intenderis ingenium, valet; si lubido possidet, ea dominatur, animus nihil valet.*

(5) Sic Sallustius saepissime de malis moribus: *contagio* Cat. 10_6, *tabes* Cat. 36_5, Iug. 32_3, Hist. frgm. IV 46, in epistulis tale quid subauditur I, 6_4, *namque aut tu mederi potes.* II, 8_3 *remedia contra divitias.* II, 12_5 *ne imperium tabescere vetustate sinas.*

(6) Ep. I, 2_5, cf. Jug. 41_9.

(7) Ep. I, 8_3, cf. Jug. 41_9, Hist. frgm. I, 1_{16}.

pudor, pudicitia, et supra quam alibi in Sallustii scriptis auctum II, 8_4 *ceterum avaritia belua fera immanis intoleranda est: quo intendit oppida, agros, fana atque domos vastat, divina cum humanis permiscet, neque exercitus neque moenia obstant, quominus vi sua penetret; fama pudicitia, liberis, patria atque parentibus cunctos mortalis spoliat* (1). Avaritia pecuniaeque vis et singulis viris et totis civitatibus perniciei est atque fuit: ep. I, 7_4 *saepe ego — reputans, quibus quisque rebus clari viri magnitudinem invenissent quaeque res populos nationesque magnis auctibus auxissent ac deinde quibus causis amplissima regna et imperia corruissent, eadem semper bona et mala reperiebam omnesque victores divitias contempsisse et victos cupivisse.* ep. II, 7_3 *saepe iam audivi, qui reges, quae civitates et nationes per opulentiam magna imperia amiserint, quae per virtutem inopes ceperant* (2).

In tali civitate magistratus aliaque venalia sunt (ep. I, 8_3, II, 7_{10}). Praeterea affluens rerum copia omnis generis flagitia secum ducit et ad explendas pravas cupiditates animum illicit. Ut in Sallustii libris bellorum, sic in epistulis luxuria castigatur, quae homines enervat: ep. I, 8_4 *nam domum aut villam exstruere, eam signis aulaeis alieisque operibus exornare et omnia potius quam semet visendum efficere, id est non divitias decori habere sed ipsum illis flagitio esse* (3), praeterea desidia, inertia, ignavia, socordia, imprimis lubido et turpissimae corporis voluptates (4).

---

(1) Cf. praecipue Cat. 11_3 *avaritia pecuniae studium habet, quam nemo sapiens concupivit, ea quasi venenis malis imbuta corpus animumque virilem effeminat.* 10_3 *avaritia fidem probitatem ceterasque artis bonas subvortit; pro his superbiam, crudelitatem, deos neglegere, omnia venalia habere edocuit.* Jug. 41_9 *avaritia sine modo modestiaque invadere, polluere et vastare omnia, quoad semet ipsa praecipitavit.*

(2) In bello Jugurthino Sallustius res externas ex avaritia magistratuum repetit. Ita contra avaritiam pugnare difficilius est et maioris momenti quam contra Jugurtham, qui per illam ad potestatem pervenit. Cf. 13_5, 41, 43_5 et C. Lauckner, *Die künstlerischen u. politischen Ziele der Monographie Sallusts über d. Jugurthinischen Krieg*, Diss. Leipzg, 1911, p. 56 sq.

(3) Cf. Cat. 13_2 *quibus mihi videntur ludibrio fuisse divitiae... quas honeste habere licebat, abuti per turpitudinem properabant.* Jug. 85_{43} *luxuria et ignavia, pessumae artes.*

(4) Ep. I, 4_3 *ventri atque profundae lubidini*, 5_5 *nihil lubidini atque aliis rogantibus denegare.* 6_1 *si saluti potius quam lubidini consules*, 6_4 *ut pravas artes malasque lubidines ab iuventute prohibeas*, 8_2 *ei quibus bis die ventrem onerare, nullam noctem sine scorto quiescere mos est.*

Alterum malum quod exedit rem publicam quodque artissime cum malis moribus cohaeret mos est factionum sive — cum plebis partes infirmae sint — *factio nobilitatis*. Tale enuntiatum quale legitur ep. II, 10_8 *quippe apud illos* (sc. maiores) *una res publica erat, ei omnes consulebant, factio contra hostes parabatur, corpus atque ingenium patriae, non suae quisque potentiae exercitabat; at hoc tempore contra ea homines nobiles, quorum animos socordia atque ignavia invasit, domi factione instructi per superbiam cunctis gentibus moderantur*, prorsus congruit cum Sallustii ratione cogitandi, cuius qui semel legerit numquam ex animo cedet locus, quo exposuit, quomodo factum sit, ut *mos partium et factionum ac deinde omnium malarum artium* in civitatem irrepserint (Jug. 41_1): *ita omnia in duas partes abstracta sunt, res publica quae media fuerat dilacerata* (41_5). Ac de plebe postea fusius disseram, hoc loco de nobilitate agendum est, ad quam factionis vox in Sallustii scriptis pertinet (1).

Summo nobilitati crimini dandum est, quod factioni suae, non rei publicae consulit et quod cum damno rei publicae nihil aliud studet quam suas res augere, iniustam potentiam sibi parare, licentia sua uti. Sed praeter istos alii quoque nobilitatis mores corruptissimi sunt. Qui nobilis, factiosus dicitur non solum factionem pluris facere quam rem publicam subauditur, sed etiam in aliis rebus improbus esse. Atque flagranti nobilitatis odio incitata esse quaecumque Sallustius scripsit neque desistere eum vitia eius detegere et castigare vix est quod moneam. Sed loci sequentes illustrent quae antea exposuimus: Maxima et insolenti nobiles sunt *superbia:* ep. II, 5_3 *apud maiores... neque divitiis aut superbia, sed bona fama factisque fortibus nobilis ignobilem anteibat.* 10_9 *homines nobiles... per superbiam cunctis gentibus moderantur.* 11_7 *ne illi* (i. e. hom. nob.) *superbiam suam dimittent* (2). Leges neglegunt, licentia et lubidine sua pro legibus utuntur (II, 3_4), quaecumque libuit, ea uti lu-

---

(1) Cf. supra, p. 14.

(2) De superbia, *communi nobilitatis malo* (sic Sallustius Jug. 64_1), cf. e. gr. Jug. 5_1 *bellum scripturus sum... quia tunc primum superbiae nobilitatis obviam itum est.* 31_2 *quam ludibrio fueritis superbiae paucorum.* 31_{12} *homines nocentissumi et superbissumi,* 85_1, $85_{13,49}$.

bido tulit fecere (II, 11_6) (1). Avidi potentiae nullo non flagitio inquinantur: II, 3_4 *idem illi factiosi regunt, dant adimunt quae lubet, innocentes circumveniunt, suos ad honorem extollunt; non facinus non probrum aut flagitium obstat, quominus magistratus capiant.* II, 11_7 *crudelissime imperitabant* (2).

Maiorum virtus dignitasque evanuit: II, 3_6 *homines inertissumi, quorum omnis vis virtusque in lingua sita est.* II, 3_5 *ac me quidem mediocris dolor angeret, si virtute partam victoriam more suo per servitium exercerent, sed homines inertissumi... alterius socordia dominationem oblatam insolentes agitant* (3). Nullum aliud dedecus norunt nisi alienam famam bonam. (II, 4_3 8_7). In hominibus istis insolentibus (4), inertissumis (II, 3_6), ignavissumis (10_9) nullae inveniuntur artes nisi dolus, malitia (II, 6_4 8_7), desidia, inertia, stupor, torpedo (II, 8_7). Sed si singulos locos respexeris, e quibus haec omnia congessimus, quam acerbi et concitati sunt, quantum ex ipso tempore et ex viva rerum notitia scripti (5). Quod idem dicendum est de singulorum Pompeianae factionis descriptione:

De Pompei ipsius moribus pauca dicuntur et ea acria: ep. I, 2_2 *bellum tibi fuit imperator cum homine claro, magnis opibus, avido potentiae, maiore fortuna quam sapientia...* quae verba prorsus sunt Sallustiana (6) et acute illud *maiore fortuna*

---

(1) Cf Jug. 31_7 *non lex, verum lubido eorum finem fecit.* Jug. 41_5 *coepere nobilitas dignitatem... in lubidinem vortere.* 42_4 *ea victoria nobilitas ex lubidine sua usa.*

(2) Jug. 41_{10} *ubi primum ex nobilitate reperti sunt qui veram gloriam iniustae potentiae anteponerent.*

(3) Cf. Jug. 85_{38} *maiores eorum omnia quae licebat illis reliquere: divitias imagines, memoriam suam praeclaram: virtutem non reliquere...*

(4) Cf. Jug. 40_5 *ut saepe nobilitatem sic ea tempestate plebem ex secundis rebus insolentia cepit.*

(5) Cur rhetor ille quem viri docti haec scripsisse voluerunt non orationem Memmii, *viri acris et infesti potentiae nobilitatis* (Jug. 31), vel Marii (Jug. 85) imitatus est, quae conviciis nobilitati factis abundant?

(6) De membrorum inaequalitate cf. p. 34 sqq., *maiore fortuna quam sapientia*, cf. p. 35. Cf. e. gr. de Jugurtha Jug. 6_1 *pollens viribus, decora facie sed multo maxume ingenio validus.* de Adherbale 20_2 *quietus imbellis, placido ingenio, opportunus iniuriae, metuens magis quam metuendus.* Ex Historiarum reliquiis de Pompei moribus pauci loci ad nos pervenerunt. Hist. frgm. III, 88 *Pompeius... sermone fautorum similem fore se credens Alexandro regi,* et veri simile est ad Pompeium pertinere frgm. Hist. II, 17 *modestus ad alia omnia nisi ad dominationem.*

quam sapientia in Pompeium cadit, quem fortuna mirabili modo amplexa erat, cum sine labore optimos eventus ei donaret. In epistula secunda dicitur (II, 3_1 sq.) *quoniam Cn. Pompeius aut animi pravitate aut quia nihil eo maluit quod tibi obesset, ita lapsus est, ut hostibus tela in manus iaceret, quibus ille rebus rem publicam conturbavit, eisdem tibi restituendum est.*

Pompei sectatorum ep. II, 9 continet notationem: *M. Bibuli fortitudo atque animi vis in consulatum erupit; hebes lingua magis malus quam callidus ingenio*, quae plagae apte et acriter inferuntur in illum Caesaris in consulatu collegam imbecillum, qui consul nihil poterat nisi domo abditus per edicta obnuntiare (1) quemque illo ipso tempore, quo epistula conscripta esse videtur, e Syria reversum Pompeium secutum esse Ciceronis ad Atticum epistulae docent (2). *An L. Domitii magna vis est, quoius nullum membrum a flagitio aut facinore vacat? lingua vana, manus cruentae, pedes fugaces; quae honeste nominari nequeunt inhonestissima* (3). Domitius cum Corfinium contra Cae-

(1) Cf. Vell. Paterc. II, 44_5 *Bibulus, collega Caesaris, cum actiones eius magis vellet impedire quam posset, maiore parte anni domi se tenuit, quo facto dum augere vult invidiam collegae, auxit potentiam.* Suet. Caes. 20 *lege autem agraria promulgata obnuntiantem collegam in eam coegit desperationem, ut... domo abditus nihil aliud quam per edicta obnuntiaret... ut non Caesare et Bibulo, sed Julio et Caesere consulibus actum scriberent.* Cf. Drumann-Groebe, II, 80 sqq.

(2) Ad Att. VI, 8, 5, VII, 11. Drumann-Groebe, II, 85.

(3) Loco allato simillimum esse invectivae in Ciceronem 3_5, ubi de Cicerone dicitur: *mercennarius patronus, cuius nulla pars corporis a turpitudine vacat, lingua vana, manus rapacissimae, gula immensa, pedes fugaces. quae honeste nominari non possunt, inhonestissima* iam Ciacconius vidit. Qui consensus tam est conspicuus, ut fortuitus esse non possit. Cum hoc loco diiudicari non possit, num invectiva in Ciceronem genuina sit Sallustiana, quaerendum est tantum epistulaene locus ita ab invectiva pendeat ut — quod complures viri docti contendunt — inepte sit inculcatus. Quibus argumentis nuper Lastius usus est (l. l., p. 153) nulla sunt: « the only evidence they present is the variation of *nequeunt* (in epistula) and *non possunt* (in invectiva), where of it might be surmised though without assurance *nequeunt* is slightly the less normal and therefore suggestive of a copy ». *Nequeunt* epistularum dictioni optime convenit (I, 7_1 *nequiret* II, 4_2 *satiari nequiere*) « but fortunately there is a more forcible consideration As Jordan has pointed out (l. l., p. 9) the author of the Invective who has been criticizing one by one the vices which he finds in Ciceros character is quite appropriate, when he sums up his conclusion in the phrase at present under discussion.

sarem teneret, obsessus ab eo fugae consilium cepit (1), qua milites eum prohibuerunt. Itaque optime quadrat in Domitium illud epistulae *pedes fugaces*. Etiam *lingua vana, manus cruentae* suo iure in eum dici poterant, quem Suetonius *ingenio truci* fuisse tradit quemque solum postea caedem adversariorum concupivisse Caesar narrat (bell. civ. III, 83_3).

Sed ubi respexeris, quomodo *Catonis* mores adumbrati sint, omnis mihi videtur, si quae reliqua fuerit, de auctore demi dubitatio. Nam praefracte equidem negaverim rhetorem quendam, qui Sallustium imitatus in dictionem ingeniumque eius adeo sese insinuaverit, ut quasi alterum Sallustium ubique se praeberet, cum animo eius — si qui alius locus — haeserit insignis illa Catonis morum descriptio cum Caesaris comparatorum (Cat. 53, 54), talia ausum esse scribere (ep. II, 9_3): *unius tamen M. Catonis ingenium versutum loquax callidum haud contemno. parantur haec disciplina Graecorum; sed virtus vigilantia labor apud Graecos nulla sunt. quippe qui domi libertatem suam per inertiam amiserint, censesne eorum praeceptis imperium haberi posse?* Quantum inter epistulam Catilinaeque locum discrimen. In Catilina post Catonis *nobile letum* scripto ingens eius laudatur virtus, magnitudo animi, constantia, studium modestiae, severitas, pudor, abtinentia. Ibi Sallustius quam maxime poterat sine ira et studio viri magni mores laudibus effert, in epistula strepentibus belli civilis armis ad Caesarem missa partium studiosus adversarii virtutes quamquam agnoscit, tamen nominibus quam humillimis appellat. Pro *pari* (sc. ac Caesar) *eloquentia* loci Catilinae eloquens senator *loquax* dicitur — haud

---

In the second Suasoria, on the other hand, where L. Domitius is mentioned only as a possible danger to Cesar, the reference to his moral character contained in the repeated tag is irrelevantly dragged in by the heels ». Quod argumentum futtile esse, ubi antecedentem Bibuli notationem respexeris, per se patet. Sed aliter progrediendum est. Extremam obprobriorum partem *quae honeste nominari* e. q. s. conviciatoribus communem fuisse inde elucet, quod Cicero iisdem fere verbis dicit (Phil. II, 19) *sed iam stupra et flagitia omittamus, sunt quaedam quae honeste non possum dicere*. In priore parte *lingua vana* de utroque dici poterat *manibus cruentis* Domitii Ciceronis *manus rapacissimae* respondent *gula immensa* in epistula deest, *pedes fugaces* in Domitium optime quadrant (cf. supra), in Ciceronem multo peius.

(1) Caes. bell. civ. I, 20 *Domitium proiectis omnibus fugae consilium capere.*

inepte a Caesaris partium studioso, quippe cuius rogationes saepe prohibuerit Cato *pristina consuetudine dicendi mora dies extrahens* (Caes. bell. civ. I, 32_3) (1).

Reliqui de factione sunt inertissimi nobiles, in quibus sicut in titulo (2) *praeter bonum nomen nihil est additamenti. L. Postumii M. Favonii mihi videntur quasi magnae navis supervacuanea onera esse: ubi salvi pervenere, usui sunt; si quid adversi coortum est, de illeis potissimum iactura fit, quia pretii minimi sunt* (II, 9, 4). Mirabilem contemptionem. Unde, id enim quaero, aliquis rhetor homines istos oblivione obrutos (3) extraheret et tam acerbo animi impetu umbris inspiraret vitam?

De nobilibus satis dictum sit. Ad plebis condicionem transeamus: Plebs quoque corrupta et dilapsa est. Summum libertatis bonum amisit. A nobilibus oppressa et malis moribus imbuta rei publicae bono non est (4). Digressio illa epistulae secundae II, 5, qua exponitur, quomodo factum sit ut plebs in servitutem artesque malas incideret, e more Sallustii composita est. Sicut in Catilina quaeritur, quomodo mali mores in civitatem irrepserint, in Jugurtha, quomodo factiones, in Historiis quomodo dissensiones civiles ortae sint atque creverint, sic in epi-

---

(1) Cf. P. Groebe, *Klio*, V, p. 232-35 « Die Obstruktion i. röm. Senat. ». Quod virtutes Catonis e disciplina Graecorum pendere iudicantur, non depromptum est ex oratione Marii Jug. 85_{32} *neque litteras Graecas didici, parum placebat eas discere, quippe quae ad virtutem doctoribus nil profuerunt*, sed perfectissimum Stoicum spectat. (Cf. Cic. pr. Mur. 60,65). *Virtus vigilantia labor* ut a Graecis et una a Catone abiudicantur, ita tribuuntur Caesari Cat. 53_4: *postremo Caesar in animum induxerat laborare, vigilare — at Catoni studium modestiae, decoris, sed maxume severitatis erat.*

(2) Sic felici acumine Jordanus scripturam codicis emendavit *instituta* praebentis.

(3) De Favonio pauca scimus; nihil videtur fuisse quam aemulus Catonis (Suet. Oct. 13) Cicero eum mense Januario anni a. Chr. n. 49 Capuae vidit, quo cum aliis nobilibus fugerat (ad Att. VII, 15). Eadem epistula Postumii quoque mentio fit, qui alibi nusquam occurrit: *negat se sine Catone iturum et suam in senatu operam auctoritatemque quam magni aestimat.*

(4) II, 5_5 *pópulus, qui dominus erat, cunctis gentibus imperitabat dilapsus est et pro communi imperio privatim sibi quisque servitutem peperit, haec igitur multitudo primum malis moribus imbuta, deinde in artes vitasque varias dispalata, nullo modo inter se congruens parum mihi quidem idonea videtur ad capessendam rem publicam.*

stula historicus futurus (1) dum causas quaerit miserae plebis condicionis, hanc maxime sibi invenire visus est, quod plebs rustica ex agris suis expulsa inertia atque inopia premebatur (2).

In tanta omnium corruptione et in summo rei publicae periculo una est in Caesaris virtute salus: *quare capesse per deos rem publicam et omnia aspera uti soles pervade, namque aut tu mederi potes aut omittenda est cura omnibus* (I, 6_3) (3). Generoso et praestanti animo praeditus non uti nobiles periculo civitatis intemperanter potentia abutitur, sed bonum publicum curat. Populum in libertatem restituet, unus est, qui ruinae rei publicae et gravissimis morbis occurrat (4). Ingenti est virtute (II, 2_3), animi magnitudine (I, 7_1, II, 2_4), maiore animo in adversis rebus quam in secundis (ep. II, 1_4), dignitate (II, 1_4, 4_3), virtute sua fortunam vicit (I, 1_2) (5). Nil ex his è Catilina mutuatum vel

---

(1) Ex adulescentia Sallustio studium rerum gestarum cordi fuisse ex ipsius perspicuum est verbis Cat. 4_2: *a quo incepto studioque me ambitio mala detinuerat, eodem regressus statui res gestas populi Romani perscribere.*

(2) Parum acute de ea digressione Jordanus (l. l., p. 19) « ea quae de imperio paullatim a senatu ad plebem translato exposuit futilia sunt universaque sumpta a Sallustii locutionibus, quibus ille maxime prooemio Catilinae utitur ». — Nihil sumptum est. Neque video, quid nuper Lastius (l. l., p. 98) in ea offenderit. « It is almost incredible that Sallust or indeed any educated man who lived during the Caesarian period should have written words like those (sc. *in duas partes ego civitatem divisam arbitror... in patres et plebem*) -the futility of this any six-form boy could see. What the division of the state really were, there is no need to inquire, but their complication may be gathered from passage like Cic. ad Att. I, 14_1. VII, 7_5 »: De plebe et patribus agit Sallustius, de plebe renovanda II, 5-9, de patrum numero augendo 10-11, et suo iure in patres et plebem civitatem divisam esse (nota perfectum) dicit inde a temporibus antiquis. Sed etiam clamat Lastius—Jordanum secutus—vocem plebis et populi promiscue haberi (*plebes* $5_{1,3}$, *populus* $5_{2,5}$). Conferat velim Sall. Jug. 41_1 *populus* et senatus... 5 *populus*... 6 *plebs*... 7 *populus*.

(3) Cf. ep. II, 12_5... *ut quam primum res publica adiutetur... atque ego te oro hortorque, ne clarissimus imperator... populi Romani summum atque invictum imperium tabescere vetustate ac per summam socordiam dilabi patiaris.*

(4) Cf. ep. I, 4_3, II, 2_4, 13_3.

(5) Etiam quae de *fortuna* in epistulis dicuntur cum iis congruunt, quae alibi Sallustius affert. Quamquam in multis rebus fortuna dominatur (ep. II, 1_2 *quia plerasque res fortuna ex libidine sua agitat.* — Cf. Cat. 8_1 *sed profecto fortuna in omni re dominatur, ea res cunctas ex lubidine magis quam ex vero celebrat obscuratque*, 51_{25} *fortuna quoius lubido gentibus moderatur*, Jug. 102_8 *quoniam humanarum rerum fortuna pleraque regit*), virtus tamen supra fortunam est: ep. I. 1_2 *res docuit id verum esse, quod in carminibus Appius ait,*

expilatum, gravia omnia et bene convenientia Sallustio, qui postea sibi persuaserat paucorum civium egregiam virtutem praeclara facinora populi Romani patravisse (Cat. 53), qui de Mario popularium studioso simplici dixit dignitate (Jug. 114_4): *et ea tempestate spes atque opes civitatis in illo sitae*.

Emicat atque elucet ex reconditis quoque rebus ingenium Sallustii. Nil inepte inculcatum est vel extrinsecus petitum, sed omnia innatam animo vim et impetum prae se ferunt.

Cum in iis quae ad rem publicam pertinent Sallustii naturam deprehenderimus, pauca addenda sunt. Quae de se ipse epistularum auctor — magna sicuti ubique Sallustius sui fiducia imbutus — affert, bene conveniunt cum iis rebus, quas de Sallustii vita scimus (1). Intimas se rei publicae condiciones perspicere studuisse et causas rerum inclinationis detegere identidem commemorat (2). Versatum in studiis et cogitationibus se quam maxime posset verum prolaturum esse affirmat: II, 2_4 *quae profecto aut vera invenies aut certe haut procul a vero*, 4_3 *ceterum tuei erit ingenii probare quae vera atque utilia factu putes*, 12_2 *prius laborandum visum est de summa consilii idque tibi probandum verum esse*. 12_7 *mihi pro vero constat omnium mortalium vitam divino*

---

fabrum esse suae quemque fortunae atque in te maxume. — Cf. Jug. 1_1 *falso queritur de natura sua genus humanum, quod... forte potius quam virtute regatur* e. q. s. 1_3 *neque fortuna eget, quippe quae probitatem industriam aliasque artes bonas neque dare neque eripere quoiquam potest*. 95_4 *atque illi felicissumo omnium* (i. e. Sullae) *ante civilem victoriam numquam super industriam fortuna fuit*.

(1) Ep. II, 1_3 *sed mihi studium fuit adulescentulo rem publicam capessere atque in ea cognoscenda multam magnamque curam habui: non ita ut magistratum modo caperem, quem multi malis artibus adepti erant, sed etiam ut rem publicam domi militiaeque... cognitum habuerim*. 10_2 *postquam mihi aetas ingeniumque adolevit... animum in litteris agitavi*.

(2) Cf. praeterea I, 7_4 *saepe ego quom animo meo reputans, quibus quisque rebus clari viri magnitudinem invenissent quaeque res populos nationesque magnis auctibus auxissent ac deinde quibus causis amplissima regna et imperia corruissent*. II, 7_5 *saepe iam audivi, qui reges, quae civitates et nationes per opulentiam magna imperia amiserint, quae per virtutem inopes ceperant*. 10_3 *atque in ea vita multa legendo atque audiendo ita comperi*. Cf. Cat. 53_2 *multa mihi legenti multa audienti, quae populus Romanus praeclara facinora fecit, forte lubuit attendere, quae res... tanta negotia sustinuisset*. Jug. 42_4 *quae res plerumque magnas civitates pessum dedit, dum alteri alteros vincere quovis modo et victos acerbius ulcisci volunt*.

numine invisier. Quemnam praeter Sallustium talem novimus veritatis suae praedicandae quasi custodem ac satellitem? (1).

Inde severissimum se praebet malorum morum iudicem penitus omnia inspicientem, quem *civitatis morum piget taedetque* (Jug. 4_3), cum sermone tum habitu veteris illius Catonis indutus. Gravissimus alienorum vitiorum obiurgator et censor summo studio vituperat, quae nonne ipse in sese admiserit, in medio relictum sit, et in iis castigandis altissimis verbis sonat. Sententiae morales sciteque dicta, quae sobrie hauste ex usu vitae mortalium mores et condiciciones reique publicae rationem illustrent, et in epistulis et in Bellis Historiisque sermonem amplificant (2). Duae sunt epistularum sententiae quae — paululum inflexae — postea in Sallustii scriptis repetuntur. Eas quoque demonstrari potest sua et peculiari ratione positas non imitatoris esse, sed Sallustii proprias: Ep. II, 8_3 (agitur de remediis contra divitias) *nam perinde* (3) *omnes res laudantur atque adpetuntur ut earum rerum usus est.* ***malitia praemiis exercetur: ubi ea dempseris, nemo omnium gratuito malus est.*** (Sequitur de avaritia ratiocinatio) *verumsi pecuniae decus ademeris, magna illa vis avaritiae facile bonis moribus vincetur.* In oratione Philippi (9), qui in insolentiam Lepidi eiusque sociorum invehit et turbas eorum enarrat, talia leguntur: *quod ego vos oro atque obsecro patres conscripti ut animadvortatis neu patiamini ad integros contactu procedere.* ***Nam ubi malos praemia sequuntur, haud facile quisquam gratuito bonus est.*** Quis neget illam epistulae sententiam cum antecedentibus et sequentibus artissimo nexu cohaerere? Et magnum inest acumen in sententia: *nemo omnium gratuito malus est,* sententia orationis Philippi

(1) Cat. 4_3, 18_1 *de qua* (sc. coniuratione) *quam verissume potero dicam.* 38_3 *ut*[i] *paucis verum absolvam.* Hist. frgm. I_6 *neque me diversa pars in civilibus armis movit a vero.* Plurimis epistularum locis ἐπίθετον *verus* exstat vel *verum* pro substantivo adhibitum. I, 5_1 *patenti via ad verum perges.* 5_8 *ea vera atque simplex via est.* II, 7_6 *animus ad voluptatem a vero deficit.* 10_3 *dum vera consilia valuere.* Cf. Cat. 11_2 *ille vera via nititur,* Jug. 16_1 *pars quae vero gratiam aut pecuniam anteferret.* 41_{10} *qui veram gloriam iniustae potentiae anteferrent.*

(2) Maximum numerum introspicies iis locis, quos p. 39 sqq. enumeravi; praeterea cf. Joh. Pajk, *Sallust als Ethiker,* Progr. Fr. Ioseph-Gymn. Wien 1894.

(3) Perinde ἀρχαίως dictum (cf. Plaut. Pseud. 576), quo etiam pertinet repetitio substantivi *rerum.*

(*haud facile quisquam gratuito bonus est*) multo tritior. Atque ea gravior sententia altera: In prooemio enim Jugurthae 2_3 corporis et fortunae bona fragilia animo aeterno opponuntur hisce verbis: *postremo corporis et fortunae bonorum ut initium sic finis est omniaque orta occidunt et aucta senescunt, animus incorruptus, aeternus.... agit atque habet cuncta neque ipse habetur.* Longe alio contextu novo et inaudito in epistula prima sententia occurrit de fine omnium rerum ortarum (5_2): *ego sic existumo: quoniam orta omnia intereunt, qua tempestate urbi Romanae fatum excidii adventarit, civis cum civibus manus conserturos, ita defessos et exsanguis regi aut nationi praedae futuros. aliter non orbis terrarum neque cunctae gentes conglobatae movere aut contundere queunt hoc imperium.* Hic omnis cedere debet dubitatio, quae imitatori tam alta tribuerat (1).

Postremo haec quoque habeas enumerata sententiae nostrae adminicula: Quae alibi Sallustius secutus est exempla Catonem, Sisennam, Thucydidem, Platonem (2) eadem in epistulis: Catonis praeter singula verba (cf. *torpedo* p. 16, *strenuus* p. 17, infinitivum in — *ier* exeuntem p. 12) exordium est epistulae secundae: *Scio ego, quam difficile atque asperum factu sit* e. q. s. Talibus verbis Catonem plurimis locis exorsum esse e fragmentis elucet (3). Sisennae erat rarissimum illud epistulae secundae verbum *dispalandi* (cf. p. 18). Thucydidem sonat ep. I, 5_2 *quoniam orta omnia intereunt, qua tempestate urbi Romanae fatum.... adventarit* e. q. s. (cf. supra p. 21) Cf. Periclis orationem II, 6_4 de urbe Athenis: ἤν καὶ νῦν ὑπενδῶμέν ποτε — πάντα γὰρ πέφυκε καὶ ἐλασσοῦσθαι — μνήμη καταλείψεται. E Platonis denique epistula septima, quam alibi quoque Sallustius secutus est (4), hausta sunt, quod Lastius vidit (l. l. p. 161), Pfister adumbravit (5), epist. I, 8_2: *ei quibus bis die ventrem onerare, nullam*

---

(1) Imago urbis ad interitum pronae propter ipsorum civium discordiam Horatii animo obversabatur paucis annis post (epod. XVI).

(2) Etiam Theopompum cf. p. 5, n. 4).

(3) Cf. p. 21_9 (Jordan) initio orationis pro Rhodiensibus *scio solere...* p. 33_1 exordium « Dierum dictarum de consulatu suo » *scio ego,* p. 80_7 principium libri De re militari *scio ego.* Sallustius etiam postea imitatus est initio orationis Marii Jug. 85_1 *scio ego.*

(4) Cat. 3_3, Plato ep. 7, 324 B sq. Jug. 3_2, Plato ep. 7 331 C-D.

(5) Philolog. Wochenschrift 1922. Sp. 1198.

noctem sine scorto quiescere mos est.... = Plato epist. 7_{326} B: δίς τε τῆς ἡμέρας ἐμπιμπλάμενον ζῆν καὶ μηδέποτε κοιμώμενον μόνον νύκτωρ (1).

Apud veteres quoque epistularum memoriam non interiisse inde elucet, quod Seneca de ira III, 36_4 epistulae I, 1_6 locum ad verbum mutuatus est: *pessumus quisque rectorem asperrime patitur* et initio huius epistulae *pro vero antea obtinebat* e. q. s. Apulei apologiae exordium in memoriam revocatur *certus equidem eram proque vero obtinebam* (2).

Quid igitur ambigamus? Proptereane quod similes in epistulis atque in aliis Sallustii scriptis occurrunt sententiae et dictiones, illas a Sallustio abiudicabimus? At idem est Sallustius, qui dictiones sententiasque identidem repetat. Quam similia inter se Catilinae, Jugurthae, Historiarum prooemia, digressiones, sententiae, dictiones (3). Deinde quantopere epistulae abhorreant ab imitatione inani, quantopere in diversis quoque verbis idem perluceat ingenium quod in Catilina, Jugurtha, Historiis, ex locis supra allatis satis elucere spero. Accedit quod cum intima notitia rerum gestarum scriptae sunt (4).

Plurima argumenta quae Jordanus conquisivit inania esse viderunt iam qui post eum in utramque partem de epistulis

---

(1) Hunc locum Cicero quoque in sermonem suum vertit Tusc. V, 35_{100} *est praeclara epistula Platonis ad Dionis propinquos... bis in die saturum fieri nec umquam pernoctare solum.* Sallustii proprium est, quod Platonis μόνον — in Ciceronis interpretatione *solum* — tam significanter definivit *sine scorto* (*scortum* Sall. Cat. 7_4, 14_6, Cato p. 64,7 Jordan).

(2) Usus verbi *obtinendi* absolute positi ep. I, 1_6 *pro vero obtinebat* (apud Apuleium *personaliter* adhibitum *obtinebam*) et rarus est et Sallustii proprius, cf. Jug. 85_7 *nulla pro socia obtinet.*

(3) Cat. 30_4 *omnia honesta atque inhonesta vendere mos erat.* = Jug. 80_5. Multos locos similes enumeratos invenies in Dietschii editione ad Cat. 30_4, Fabri ad Jug. 80_5.

(4) Conferas quanto vigore in epistula priore Caesaris exercitus descriptus sit (2_2 sqq. $4_{3,4}$) Mirum profecto istum rhetorem, qui Caesari de exercitus eius vitiis scripserit. Neque minus mirum quod idem rhetor cum in intimas latebras dictionis animique Sallustii sese insinuaverit, qui versatur in laudandis maiorum institutis moribusque, Caesari suadet (I, 5_4) *id* (sc. concordia) *ita eveniet, si sumptuum et rapinarum licentiam dempseris non ad vetera instituta revocans, quae iam pridem corruptis moribus ludibrio sunt, sed si suam quoique rem familiarem finem sumptuum statueris.*

egerunt (1). Sed haesit quam moverant dubitatio. Nobis restat, ut ea denique refutemus, quae nuper Lastius protulit, ut probaret epistulae secundae auctorem priorem secutum esse, quam Sallustiusne composuerit in medio reliquit. De eis quae ad dictionem pertinent, iam actum est. Ceterorum quotquot indagabat indiciorum unum notatione dignum est de epistulae secundae loco 4_2 quo cum niterentur iam pridem viri docti dubitationem confirmaverunt. Nam alia omnia futtilia esse mihi videntur:

Quod in epistula prima, cum auctor Caesarem admoneat, ne in victoria crudelem sese praebeat uti antea Sulla et Pompeius, legimus (4_1): *an illa quae paullo ante hoc bellum in Cn. Pompeium victoriamque Sullanam increpabantur, oblivio interfecit? Domitium Carbonem, Brutum, alios item non armatos neque in proelio belli iure, sed postea supplices per summum scelus interfectos, plebem Romanam in villa publica pecoris modo concisam?* « a real difficulty » et « strongest argument against id » appellat (l. l. p. 160). Res enim enarratas spatio viginti septem annorum distare ab eo tempore, quo epistula spectaret, ut illud *paullo* ineptum esset neque iure de tanto intervallo dici posset. Talia reticere mallem, nisi opus esset demonstrare, quam levibus argumentis obruatur et obducatur veritas. Quod vivo spiritu calet, per vim refrigeratur. Unum (2) restat argumentum de epistulae secundae loco 4_2.

Cum gravissimis verbis invehatur in mores factaque nobilium, qui summa libidine et insolentia usi dominatione abutantur, talia afferuntur (3_7 sqq).: « *quae seditio aut dissensio civilis tot tam illustris familias ab stirpe evertit? aut quorum unquam in victoria animus tam praeceps tamque immoderatus fuit? L. Sulla, cui omnia in victoria lege belli licuerunt, tametsi supplicio hostium partes suas muniri intellegebat, tamen paucis interfectis ceteros beneficio quam metu retinere maluit. at hercule M. Catoni* (3) *L. Do-*

(1) E. gr. Jordanus ep. II, 13_1 *decus praesidiumque nobis* ex Horatio pendere contenderat; egregiam imaginem I, 2_7 qua Pompeius cum fano comparatur, quo debitores fugerant, prorsus delevit, cum falso eam interpretatus sit, multaque alia eiusmodi admisit.

(2) Alia omnia nil probant; de eis argumentis quae contra digressionem II, 5 attulit cf. supra p. 48 an. 2.

(3) In codice exstat: *at herculem Catonem* e. q. s. Mommsenus scripsit *at hercule a M. Catone L. Domitio,* nos cum Kurfessio Orellii emendationem sequimur, cf. Ed. Meyer, l. l., p. 574 « im Namen des Cato etc. sind hingeschlachtet ».

mitio ceterisque eiusdem factionis quadraginta senatores, multi praeterea cum spe bona adulescentes sicuti hostiae mactati sunt, quom interea importunissima genera hominum tot miserorum civium sanguine satiari nequiere ». — Duo in hoc loco insunt nodi: Cum de illorum annorum factis accuratam notitiam habeamus, de quadraginta senatorum nece nil scimus, et numerus quadraginta cum eo congruit, quem Appianus Sullae proscriptionibus interfectum esse memoriae tradidit (1). Hoc posterius non ita multum probat (cf. ἐς τεσσαράκοντα). Priorem difficulatem Ed. Meyerus post varios aliorum conatus sic solvebat, ut ad Clodii necem aliasque illorum annorum turbas pugnasque pertinere locum censeret (2). Quae Meyeri sententia utrum probanda sit necne — refragatus enim est Lastius — diiudicare cum nequeam, historicos provoco. Illud tamen affirmaverim uno hoc loco incerto tantam certorum molem non labefieri et viam, quam Lastius ingressus est, cum diceret epistulae secundae locum ita explanandum esse, ut rhetor epistulae primae locum 4_1 imitatus-ubi expressis verbis de Pompei Sullaeque *crudelitate* agitur-falso interpretatus esset, longe esse reiciendam (3). Nulla parte epistulae secundae auctor priorem imitatus est. Nullum ad probandam hanc sententiam argumentum valet (4): In epistula prima 4_1 sq. de Caesaris clementia agitur, quae Sullae cru-

(1) Appianus bell. civ. I, 95_{442} βουλευτὰς ἐς τεσσαράκοντα καὶ τῶν καλουμένων ἱππέων ἀμφὶ χιλίους καὶ ἑξακοσίους ἐπὶ θανάτῳ προύγραψεν.

(2) Meyer, l. l., p. 575.

(3) Artificia quae adhibet ut hoc probetur mire contorta sunt. Quod qui noscere vult apud ipsum velim legat p. 155 sqq., locum I, 4_1 attuli supra, p. 53.

(4) Proficiscitur Lastius ab ea sententia, quae utrique epistulae communis est: II, 1_6 *idque* (sc. tibi consilium dare) *non temere neque ex fortuna tua decrevi, sed quia in te praeter ceteras artem unam egregie mirabilem comperi, semper tibi maiorem in adversis quam in secundis rebus animum esse, sed per ceteros mortaleis illa res clarior est, quod prius defessi sunt homines laudando atque admirando munificentiam tuam quam tu faciundo quae gloria digna essent.* I, 1_2, *in te maxume, qui tantum alios praegressus es, ut prius defessi sint homines laudando facta tua quam tu laude digna faciundo.* Minime probari potest epistulae secundae sententiam inepte inculcatam esse et *munificentiam* nihil valere. Munificentia Caesaris in omnium ore erat. (Cf. Sall. Cat. 54_2 *Caesar beneficiis ac munificentia magnus habebatur.* Suet. Caes. 10 *suam* (*i. e. Bibuli*) *Caesarisque munificentiam unius Caesaris dici*).

delitati opponitur (1), in epistula secunda Pompeianae factionis crudelitates etiam Sullae superare dicuntur more exaggerantis et studio abrepti. Sed alia quoque Lastii suspicionem movent: De libertate in epistula secunda multa verba fieri scholae more, cum epistula prima talibus nugis libera sit (2). Recte, sed suo iure, non scholae more, in epistula anni 49 identidem affirmatur agi de populi libertate aut servitute Caesarne an Pompeius rem publicam constituat, non in epistula anni 46 Pompeio victo. Suo iure — sic liceat nobis pergere — in epistula secunda identidem invehitur in factionem nobilitatis, contra quam adhuc pugnandum est, cum in epistula prima factionis ne mentio quidem fiat; suo iure in illa consilia dantur de civibus novis adsciscendis — Transpadanos illo anno civitate donatos esse constat — in hac de Caesaris victoris clementia, qua ipse gloriatur.

Quod Ciceroni non contigit, ut ad Caesarem de constituenda re publica epistulam scriberet, quae familiaribus ipsique Caesari probaretur, id antea contigerat Sallustio. Senatu motum anno a. Chr. n. 49 Caesar per quaesturam reduxit (3). Initio eiusdem anni priorem epistulam composuerat, alteram victori misit tribus annis post. Utrique ingenii sui impressit imaginem.

---

(1) Ipse Caesar de clementia sua loquitur in bello civili adhibita. Cf. notam illam Caesaris ad Oppium et Balbum epistulam (ad Att. IX, 7 C.)... *ut quam lenissume me praeberem... quoniam reliqui crudelitate odium effugere non potuerunt praeter unum L. Sullam, quem imitaturus non sum.*

(2) l. l., p. 156, sed quanta gravitate, quam imitando assequi non possis, loci sunt velut II, 5_7 *ceterum additis novis civibus magna me spes tenet fore ut omnes expergiscantur ad libertatem.*

(3) Cf. invect. in Sall. 6, 17.

VITA

Nata sum ego, Annamaria Holborn e gente Bettmann, Heidelbergae a. d. VI. id. Jun. anni 1902 patre Siegfried Bettmann professore universitatis Ruperto-Carolae et matre Rosa e gente Friedmann. Fidem profiteor evangelicam. Primis litterarum studiis per tres annos imbuta inde ab autumno anni 1911 gymnasium Heidelbergense novem annos frequentavi. Maturitatis testimonium aestate anni 1920 adepta civibus universitatis Ruperto-Carolae adscripta sum et studiis philologicis et grammaticis me dedidi. Inde ab autumno anni 1921 Berolini studui tria semestria, quorum duo proseminarii philologici sodalis ordinaria fui, unum seminarii, cui praeerant Werner Jaeger et Eduard Norden. Aestate anni 1923 seminarii Heidelbergensis sodalis fui moderantibus Franz Boll † et Carl Meister. Autumno eiusdem anni universitatem Kilonensem petivi, sequentibus duobus semestribus rursus Berolini studui.

Docuerunt me professores:

Berolini: Ed. Fraenkel, W. Jaeger, Lüders, P. Maas, Noack, Ed. Norden, Regenbogen, Roethe, W. Schulze, v. Wilamowitz-Moellendorff.

Heidelbergae: Bartholomae †, Bezold †, Boll †, L. Curtius, Fehrle, Guentert, Gundolf, E. Hoffmann, Meister, Oncken, Rickert, Weinreich.

Kiliae: Ed. Fraenkel, Ernst Fraenkel, Jensen, Prinz, Tönnies.

Quibus omnibus viris doctissimis gratias ago quam maximas, imprimis Nordeno, qui cum in seminario Berolinensi aestate anni 1924 epistulas ad Caesarem tractaret, ad disputationem antecedentem animum meum incitavit.